BOSTON
MEDICAL LIBRARY
8 THE FENWAY

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://archive.org/details/georgiiwolffgang00wede

8.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII

LIBER DE MORBIS INFANTUM.

107

IENÆ

Sumptibus IOH. FELICIS BIELCKII

TYPIS KREBSIANIS.

M DCC XVII.

BOSTON MEDICAL
SEP 8 1908
LIBRARY.

Ex Bibl. ad aed. Mar. Magdal.

26 A 136

BOSTON MEDICAL
SEP 8 1908
LIBRARY.

I. N. I.

CAPVT I.

DE

Morbis infantum in genere

Loco Procœmii.

MAximi momenti eſt futuri hominis γένεσις & origo, tum prius, quam in lucem edatur, embryo mille expoſitus iniuriis, & malis, etiamnum in vtero materno ſubiectus, tum maxime, quando iam emiſſus ſui iuris eſſe incipit.

Non ſolum enim ſtatim e ſuo ergaſtulo aſportat ſæpe morbos, eosque ſic connatos, mortis originem, ſed & quam plurimis de cauſis diuerſi generis malis eſt obnoxius, ita vt & propria infantili ætati claſſis adſignata fuerit dudum.

Si illa ſpectemus ſeorſim latius, patiuntur morbos ob teneritudinem texturæ, vaſculorum, pororum, neruorum,

ob occurſum alterantis aeris, errores & morbos nutricum, ob ἀδδηφαγίαν, ob acidum, viſcidum, bilioſum collectum & exuperans, & reliqua.

Neque enim vni ſoli ex hisce v. g. acido accepta ferenda ſymptomata infantum, ſed & obſtructiones, & flatus, & alia communia humorum vitia, præſto ſunt, & toto die concurrunt.

Tantum vero abeſt, vt tenella ætas obſtet, vel contraindicet medicæ artis præſidia, vt potius aliis contra tanto maiori ope indigeat, quanto delicatior eſt machina corporea, & facilius patitur, grauiusque afficitur.

Atque hinc iam dudum duo eſſe ardua in medicina agnouit *Epiphanius Ferdinandus Hiſt. XIII. fol. 34.* grauidis nempe & puerulis mederi, maxime cum, quod ipſis male eſt, referre nequeant, nec applicari æque patiantur medicamina.

Ferre ſiquidem & ſibi debita tuto poſſunt & expetunt, non relinquendi naturæ, ſibi mederi non valenti, vel imperitis obſtetricibus, aliisque vetulis, & empiricis, vnde non minor laus eſt infantibus mederi, quam adultis.

Accedit & nutricum incuria, & lactis varietas, vt nec a priori ſemper latens vitium, ſed ab εὐφορία, ſeu iuuante & nocente effectu, demum cognoſci debeat, ſubtilius latens.

Cum itaque ætatis huius ratione a ſuis cauſis oriundos ſatis magnos & graues experiantur morbos infantes, & noſſe illos par eſt, & remediis oppugnare condebitis, aptis, tutis, & expertis, tam nutrici propinatis, quam ipſis illis ſubiectis tenellis.

Quod ſi ſciagraphiam affectuum horum nouerimus, rectius

ctius in theſi & antitheſi, vt ita loquamur, procedere integrum eſt, & cognitioni & curationi rectius velificantes.

Primus iam *Cous* & huic ætati illos aſſignauit *3. aphor. 24. ſeqq.* in quatuor quaſi claſſes dirimens, iuxta quem ordinem nonnulli de iis egerunt quoque, vt *Trunconius.*

Et ipſe tamen *3. aphor. 28.* & eundem κατὰ πόδα ſequutus *Celſus Lib. II. c. 1. p. 57.* non inepte cum eodem latius paulo extendit infantiam ad ipſam pubertatem, & intra hanc certis limitibus eam quaſi definit. Die quadrageſimo, menſe ſeptimo, anno ſeptimo, & decimo quarto periclitari ſcribit *Celſus l. c.* quibus veluti criſibus abſoluuntur.

Cum vero plures longe hodie affectus corripiant infantes, & medico obueniant, commodiſſimum quidem fuerit, diſtinguere eosdem in proprios & communes.

Proprii ſunt, qui illis ex ratione temperamenti, ætatis, habitus, diætæ &c. illis præ aliis euenire aſſolent, vnde & congrui magis vulgo hi ipſi dicuntur, vt aliis ætatibus incongrui, & hi καθ᾽ ἐξοχὴν audiunt morbi infantum, Kinder-Kranckheiten.

Communes, quos aliis cum ætatibus & hominibus habent diuiſos, & licet non ordinarie, nec ita frequenter, infantibus accidant, nihilominus tamen maxime ſcorbuti & aliarum cauſarum concurſu his quoque illi ſunt obnoxii, & ſic communes quoque cum morborum radice vniuerſali, communes item conſequenter cum artifice medico.

Generalia horum fundamenta in ſynopſi videri queunt in *Aphor. Aphoriſmorum Lib. III. aphor. 24. ſeqq.* quæ tanquam præcognita fundamenta huc referenda, ſingulis aptanda facile.

Si quæ vero alio ordine videantur diſponenda, vel tractanda, cogitandum eſt, vt non ordine certo obueniunt

curanda medico, ita ſatius fuerit, quæcunque dextre tractare, quam in hoc ordine accurato ſollicitum plus iuſto eſſe.

CAPVT II.

DE *Regimine primo valetudinis infantis recens editi.*

SI vllibi ſane & in infantibus locum habet 1. *aph. 1.* circa perſonas concurrentes in miniſterio & regimine infantili Prima cura eſt obſtetricis, altera nutricis aliorumque, omnium vero diribitor & iudex eſt medicus, vltra reliquos omnes ſapiens & diſponens.

Omni modo ergo laborandum, vt infans viuus edatur, & vitalis hinc ſit. Quod ſi debilis ſit fœtus, & id mature cognoſci debet; quoad vtrumque ſtatum. Valet enim & hic maxime elegans diſtinctio *Martiani p. 26.* Vtrum perfectus ſit, & maturus.

Perfectus dicitur inprimis ratione conformationis partium corporis, *maturus* ratione temporis geſtationis & partus legitimi. *Vid. Caranza & Fabrottus.* Ita ſi minor reſpectiue ſit debito, ſi ſeptimeſtris, ſi a matre geſtatus tempore geſtationis ægra, febricitante, phthiſica &c. debilior præſumitur, minusque firmus, ſæpe etiam exſuccus quaſi.

Neque illud tamen valet perpetuo, modo principia vitalia, calidum & humidum, ſint ſui iuris & paulo firmiora in receſſu, quibus aſtrologica & alia merito ſubſtant, vt viciſſim, ſaluis illis viſis, facilis eſt ordinis inuerſio.

Ita

Ita debilis ex reſpiratione ac voce iudicandus, & contra, ſiue a partu difficiliori & longiori mora, ſiue ab hauſto in tranſitu anguſtiori humore, ſeu aliunde, refocillantibus eget, afflato halitu, vtroque etiam ore, aere vel maſticatione medicato, aſperſione vini, aperto ore mediante digito, vt, ſi quid inſit peregrini, eximatur, fotu blando, frictione pedum, & aliis a ſuffocatione maxime liberandus, minimum, vt aliquot horas ſaltim, vel quantum fieri poteſt, vita fruatur. Commodum hinc recens natis eſt, vt vomant, & hoc modo a ſuffocatione præcaueantur.

De hoc vero ſecuris præcipua cura incumbit, vt præſcindatur vmbilicus, ad quatuor, quinque, ſex digitorum latitudinem: præciſus vero accurate deligetur; ex quo penitus omiſſo abſolute moriendum eſt, ex neglectu vero periculum vitæ præſentaneum imminet, vnde vidimus etiam iudicialiter, ab vno alteroque die hæmorrhagiam talem factam lethalem in puerulo alias vegeto, ſola obſtetricis culpa.

Vti vero frigus maxime lædit & puerperam & puſionem, ita poſt partum ſtatim calefieri debent, niſi id iam factum ſit, hypocauſta, & lectuli. Hinc calido humido adſuetus balneandus eſt, non frigida, vti olim barbaris quibusdam populis, ipſisque Germanis, ſi *Galeno* credimus, id factum ſcribitur, multo minus feruidiori aqua, quo de vid. exemplum funeſtum apud *Ammannum in Med. Crit. caſ. 76. p. 395.*

Enimuero is antiquiſſimus & neceſſarius mos fuit, vt fœtui in lucem edito primo præſcindatur vmb[illegible]us, idem aqua lauaretur, vt mundus fieret, vnde & cum [illegible] vel ſapone fricabatur, & in faſcias inuoluebatur *Ezech. Cap. 16. v. 4.*

Liberum eſt, & herbas neruinas indere balneo huic primo, quæ ad manus ſunt, ſaluiam, rosmarinum, betonicam &c. ab-

ſtergendi & roborandi fine, ſeu ad bene eſſe ſolum. Ita ad quietem compoſitus neceſſariam ſibi tantiſper relinquitur.

Vna vero mature opus eſt, diſpicere, an quæ occurrant extraordinaria, ſeu in toto, ſeu certa parte aberrationes, vel vitæ impedimenta, vel dedecora quoque. Ita caput blanda manu ad figuram naturalem conformandum, ſi in anguſtiis v. g. paulo acuminatum videatur.

Ita digito in os immiſſo proſpicitur etiam non ſolum extraneis ſic remouendis, ſed & ipſi quoque oris & linguæ libertati. Conſideranda item conformatio artuum & membrorum, aperturarumque ipſarum. In his enim, ſi quid deprehendatur notabile vel inſolitum, cordi habendum eſt.

In his enim quædam ſunt plane incurabilia, vt monſtroſitas vel quoad totum, vel certas partes, maxime faciem; in quibus tanquam rarioribus non immorari opus. Faciunt tamen & illa ad illuſtranda reliqua, vti ante annos aliquot in pago quodam vicino natus eſt infans ſine manibus & pedibus, quo de vid. *Epiſtola edita M. Stemleri.* Rarius vero paulo viuunt monſtra, teſte experientia, de reliquis ſeorſim videbimus.

Tacemus, ſi funiculus vmbilicalis collum infantis circumdederit, quo liberandus eſt, ſi vitta vel galea, tanquam membrana ſecundinæ interior caput fœtus editi tegat, vel, quod rarius, totus fœtus membranis adhuc incluſus prodeat, ſingulis ... us liberandus. Tale exemplum etiam habet *Haruæus*, ... ult fœtum in vtero reſpirare, vid. *Craan. de homine cap.* .. *p. 759.*

Ceterum, vt faſciatio non parum facit ad conformationem debitam tutandam, pro re nata tardius, maxime quoad pedes, vel citius omittenda; ita curioſe cauendum eſt, ne

dor-

dormienti vlla iniuria fiat, præcipue improuida nutricis ſuffocatione. (erdrücken.) Sic mortuus noctu deprehendebatur puellus egregius concionatoris Gallici.

CAPVT III.

DE

Nævis maternis.

OCcurrunt vero & alia in corpore fœtus editi obſeruanda, quæ medici curam requirunt, maxime quoad conformationem, ſeu nævorum maternorum titulo latiori veniant; ſeu potius ſpeciali claſſe diſtinguantur.

Stricte enim ſumpti nævi, connati puta vel quaſi, & hinc materni dicti, fere leuiores ſunt paulo maculæ, lituræ, ſtigmata, reſpectu figuræ & magnitudinis mutatæ grauioris morborum, ſaltim ab initio.

Duplici hi notione comprehendi poſſunt, præcipue quatenus alii ſunt ἄμορφοι, vel ſolo colore ordinario mutato, alii ἔμμορφοι, definito magis vitio conſpicui.

Ita nonnunquam ſolus ille color mutatus viſitur localiter, maxime in facie, qui minus occuli poteſt, v. g. ruber, minor vel maior, Feuer-Mahl/ rarius paulo niger, qualem in puella vidimus minorem, vt decoris gratia crederetur ignaris impoſitus orbiculus minor, & quidem citra vllum tumorem. Medius eſt ſubfuſcus.

In aliis *tubercula* viſuntur, inſtar verrucæ, vel *fragi* (exemplo nævi definiti) in aliis murinus color, cum pilis etiam minoribus ipſis, muris quadam ſimilitudine. Vidimus etiam in puero tumorem genæ dextræ interiorem, quaſi glan-

glandulæ cuiuſdam minoris, citra coloris vllam mutationem; quem medicamentis imminutum reddidimus, vt deformitatem nullam inferat.

Vidimus aliquando & pedibus natam velut manualibus, magis ſcilicet manus quam pedes referentibus, vt plura alibi notata videas, quorum cauſæ ſæpe ſatis obſcuræ ſunt, & admirandæ fere magis, quam exhauriendæ.

Sane plurimum confert imaginatio materna, idea hac vel illa, obiecti ex improuiſo terrifici occurſu, fortius concepta vel impreſſa archealiter, contactu in hac vel illa parte ſigillata, lineamentis quaſi turbatis.

Non raro vero etiam poſitura fœtus occaſionem præbet, adhæſione vel accubitu in vtero magis conſtanti in vnum alterumque latus.

Ita cum gravida ſiniſtro hypogaſtrio dolorificum ſenſum ſenſiſſet aliquandiu, natus hinc fœtus in ſiniſtra nate lituram obtulit, indicio ſanguinis ibidem minus æqualiter circulati, quæ ipſa cauſa, circulatio inquam inæqualis, & aliis explicandis ſufficit.

Neque tamen ſymbolismus vt partium, ita næuorum conſtans, firmus vel perpetuus eſt, quod & olim iam quidam ſtatuerunt. Vid. *Septalius de næuis*, *Elsholtii anthropometria* & alii. Satis eſt, poſito vno inordinato, & alterum facile conſequi, quamuis nec id ſemper ſit perpetuum. Dantur enim næui ſolitarii, & plures in vno eodemque corpore.

Neque id ſymbolismo ætheris debetur, ſeu conſtellationi ſignorum cœleſtium, quamuis non negandum ſit, tales tumores inprimis aliquando non ſolum increſcere, minores primitus viſos, & ad lunæ aliquando augmentũ, ſed & tempore fructificationis annuæ, inprimis in quibusdam v. g. mororum.

Vide

Vide elegantiſſime de his philoſophantem *Gaſſendum in vita Peireskii lib. 2. p. 102. ſ. & Borellum lib. 3. obſ. 49. p. 235. & lib. 4. obſ. 74. pag. 336*, vbi rariſſima exempla refert.

Vti itaque conſultum eſt, στάσιν illam inæqualem vndecunque ortam disiicere & characterem illum ſic delere ac abolere, reddita ſibi in poris ſuis ſanguinis periodo, ita non vnis modis topicorum id tentandum eſt.

Præſtat vero anticipando quaſi & præſeruando, ſicubi tale quid timendum occurrerit grauidæ, mature anteuertere, datis v. g. pulueribus appropriatis generi neruoſo, & ſpiritibus inordinate operaturis ſuccurrentibus v. g. vel ex ſolis cinnabarinis & ex corallinis, nedum aliis.

Optime hoc fine hinc ipſis cum ſecundina & fluentibus lochiis applicatis ſtatim næuos animaduerſos abluere, partim ob blandum teporem, vel ipſo frictu iuncto, partim ob nitroſam, ſulphuream, abſterſiuam virtutem, vnde & ſanguinis menſtrui illitu repetito idem fit.

Alii meconium ipſum ſeu proprium ſtercus illinunt, ob bilioſum characterem; alii ſuctum parentum repetitum, ſeu ſaliuæ potius imbibitionem, addita frictione, alii ſuccum corticum nucum iuglandium viridium, vel fragorum quoque laudant. Communiter aqua fragorum, caryophyllatæ montanæ, ſigilli Salomonis, herbæ chriſtophorianæ &c. commendatur.

Tacemus decoctum ſiderit. rutæ, abrotoni, & aliorum pro lotione. Tumorem genæ connatum plurimum imminuimus emplaſtro miraculoſo impoſito.

Neque de nihilo eſt remedium *Helmontii*, vt macula talis fœtui impreſſa tollatur admota manu cadaueris longa

tabe extincti, *lib. Demens Idea* §. 46. idque citra vllam ſuperſtitionem, ſeu priuatiuam cauſam laudemus, archei auerſione, ſeu poſitiuam, ſudoris morticini ſalino-ſulphurei affrictu ſanguinis illam *ςάσιν* in ordinem redigi.

Quod ſi nec abſtergentibus ſalino-ſulphureis, nec reuocantibus aliis pareat; & remedium non grauius morbo reputetur, abolitos næuos & tubercula talia experientia demonſtrauit, deſtructo per lapidem corroſiuum charactere ſeminali, quod prope oculum in puella, & in capite alterius cum ſucceſſu factum vidimus. In ſene vero in capite grandiorem talem tumorem rubicundum & tantum non fungoſum ad mortem geſtatum.

Niſi autem prouide deſtruatur, ſed irritetur ſaltim, inde degenerare poteſt in cancrum, quod ab aqua forti improuide applicata vidimus in virgine, triſti euentu, non ſolum inde tumore grandiori & cancroſo reddito, ſed etiam in toto abdomine & mammis ipſis tumoribus glandoſis liuidis ſub cute exortis, immedicabili malo.

CAPVT IV.

DE

Labiis leporinis, defectu vuulæ, ſexto digito &c.

CVm maxima vis ſit idearum phantaſticarum, quæ a matre conceptæ in fœtum deriuantur, poſſunt vlterius illæ in patentes & latentes, vel in partibus ſolidandis, vt ita loquamur, vel in ſpirituoſis ſolum impreſſis diſcriminari.

Harum poſteriorum exemplum eſſe poteſt deſiderium

incom-

incompletum, eine Sehnſucht/ huius vel illius rei, v. g. halecis, vnde vulgi experimento ſæpe infans editus clamat, vel male habet, ore ſtrepit, ſchmaßt/ nec prius conquieſcit, quam ori ingeſta re cupita.

Simile quid horum ſaltim in idioſyncraſiam fatiſcit, ſiue anxie deſideratum, ſiue odioſe, vel inaduertenter etiam auerſationem pariens, quod vel notiſſimo exemplo, qui caſeum aduerſantur, verum eſt, vix alia meliori cauſa exhauriendo phænomeno, quam mentali tali idea in ſpiritus ſigillata.

Inter obuia vero alia & ſtatim quaſi ſua referri meretur & labium fiſſum, ſuperius puta, ſeu leporinum, a primo ortu connatum, a conſimili idea quomodocunque occurſante, & fortius etiam cum ἀῤῥωϛίᾳ quadam διανοίας impreſſa, & coæquata; quæ enim a vulnere fiſſuræ & hiatus forte eueniunt, proprie non ſunt labia leporina, ſed ἀκύρως magis talia.

Duplicis hæc ſunt generis maxime, minus, ſolo labio hiatum talem paſſo, & maius, cum latitudine aliqua, quando maxillæ ipſius ſuperioris ſubiunctum os ſimul diſtat; conformatione vitioſa abludente occaſione laudata archeo inducta.

Cum itaque de remedio potiſſima ſit vel eſſe debeat cura, vnica ſola chirurgia eadem abſoluitur. Et hæc duplex ſtatui poteſt, crudior, rudior, imo crudelior *Paræi*, *Hornii*, & ex illis *Ammanno* laudata in *paræneſi*: & longe mitior, certior & melior recentiorum.

A priori quidem conuenire dici poteſt vterque modus operandi, ſiquidem opus eſt præcipue ſectione parietum vtrorumque hiatus, quod optime & ocyus fit forfice in acu-

tum terminata. Sed differunt coadunitione, in quo conſiſtit rei totius compendium.

Vrget vero operationem hanc incommoditas ſucceſſiue ſugendi, deglutiendi, loquendi, ipſaque inſtar omnium deformitas.

Cum enim olim traiecerint acum, ſeu vnam, ſeu alteram, ad faciendam quaſi ſuturam conuolutam vel conglomeratam, non ſolum hoc fuit perquam dolorificum, ſed & periculum inciſionis maioris, & curæ fruſtraneæ, vid. *Ammann. p. 364.* & ibi citatos.

Id omne vero præcauetur, nec vllo modo timendum, ſi prius ante ſectionem vnciouli vtrinque agglutinentur, vt citra vllam eiusmodi puncturam circumuolutio longe commodior, & indolorifica contactum vulnerum promoueat.

Et ad hunc modum in infante nondum fere annum nato intra octo dies vidimus perfecte conſuta labia & coalita, ſutura non niſi ſicca, & feliciter adminiſtrata; cum optima εὐφορίᾳ inducta cicatrice.

Quodſi alia quædam aberrationum exempla occurrant, æſtimanda ſunt partim vel defectu, vel exceſſu, & hinc partim vel incurabili plane vel curabili malo, eorumque conſecutiuis.

Ita vuulæ defectum vidimus, quod mater piſciculis viuis deglutiendis addicta ore aliquando piſcis aperto inſpectoque dediſſet ad ideam talem repræſentandam occaſionem. Vnde id aduertebatur a partu, quod papillam ſugenti lac per nares extrorſum regurgitaret, cui remedium ſuaſimus profundiorem in os infantis impreſſionem, vt breuiori via lac melius deglutiri poſſet, ingerendo papillam longius.

gius. In progreſſu vero ætatis non poterant certæ literæ ſermone exprimi.

Si digitus ſextus in manu vel pede connatus fuerit, & tenui mobilique ac molli radice cohæreat, facilis eſt reciſio, dummodo parentes conſenſerint, quod in principali perſona a ſereniſſimo parente non admiſſum nouimus.

Sin coaliti fuerint duo vel plures digiti in vnum, ſcalpello diducendi ſunt, verbis *Celſi lib. 7. cap. 32. (& lib. 5. c. 28. ſ. 11.) & Ronſſei Comment. in Celſ. p. 686.* ſectione curantur ſi ſimplici membrana vel cute eaque coæquata asſignata cohæreant; aſtnerui vel oſſis aliquid ſi intercedat præternaturaliter, proinſanabili habendum, quod dato tali caſu edixiмus.

CAPVT V.

DE

Atretis, vinculo linguæ ſtrictiori & roncho.

VT facile ab ideis prægnantium fortioribus partium conformatio lædi poteſt; ita etiam circa portas quaſi publicas & emiſſaria ſeu excernicula ordinaria idem obtingit, idque præ aliis in ano in infantibus occurrit, imperforato illo.

De differentiis circa atretos hoſce vid. *Ephemer. German. Dec. 1. obſ. 44. pag. 33. ſeq.* Nos triplices laudabimus, 1. imperfectam conniuentiam ſeu anguſtiam, cui mederi licet dilatante ſuppoſitorio coalitum, 2. coalitum ſuperficiarium membraneum, inprimis cum ſignatura loci debiti lineari, vbi lancetta apertionem factam cum ſucceſſu nouimus, vbi & aliquando forfice vtendum, vbi aliquis hiatus ſuppetit, vid. *Wierus;* 3. profundiorem,

 gra-

grauiorem, & carneam, vbi vel fruſtranea eſt apertio, vel cum periculo læſionis maioris.

Niſi vero apertio fieri queat, vel negligatur quoque morbus, a reſtitantibus fecibus alui intumeſcere abdomen & vomitum iliacum conſequi oportet, quod ante plures annos in vicina vrbe contigit. Aliquando vero mutata conformatione, inteſtinum rectum ad pudendum muliebre protenſum, & locum excretionis vicarium inueniſſe obſeruatum fuit, quod & in adulta fœmina per eroſionem vel vlcerationem factum notauimus.

Vti vero ſola ſectione cura adminiſtratur in ano, vel alibi, vt in glande, vel coalitis labiis &c. ita in vteri clauſura de eo minus cogitandum eſt, niſi in adultis, ſiue menſes reſtitent, vti exemplum habet *Haruæus*, *Aquapendens* & alii, ſiue admiſſio a viro fieri nequeat, quo caſu itidem ſectio prouida locum habet.

Hanc in puella ſemeſtri factam cum ſucceſſu refert *Bartholinus cent. 5. obſ. 42. & Hildanus Cent. 3. obſ. 61.* vbi tota curatio deſcribitur. Notabile tamen eſt, non properandum æque, vel vrgeri idem, ſi nihil incommodi inde conſurgat, ſiquidem obſeruatum eſt, & ab eodem *Bartholino l. c. 5. obſ. 43.* cum ætate aliquando ſponte ſua ſine vllo remedio reſeratam fuiſſe clauſuram.

Cauendum vero & nutricibus, ne facta, vt ſolet, intertrigine per adſtringentia coalitus fiat laterum excoriatorum per imprudentiam; quod hoc ipſum vitium infert.

Dantur etiam caſus, vbi præter generalem a natiuitate oris & linguæ mediante digito elutriationem blandam aliud impedimentum eius luſtrationem deſiderat.

Facit enim huc ſtrictura freni linguæ, ſeu ſuctionis, ſeu de-

deglutitionis impeditæ titulo, ſeu ſequentibus temporibus loquelæ minus obſequæ. Quod ſi ergo membranula tenuis longior ſit paulo, vna vero ſic productius vinculum, forfice prouide diſcindere liberum eſt, pro maiori libertate conſequenda, quod etiam in sereniſſimo infante fieri iuſſimus.

Sin poſthæc minus volubilis videatur lingua pro exprimendo ſermone, vel conſonantium certarum enunciatione, & hæc particula quidem ſpectari poteſt, an in culpa ſit, in genere tamen notandum (1) non in ſola eadem & ſemper reſidere cauſam, vnde nec ſectio promiſcue & indifferenter iuuat; (2) ſi impedimentum aliquod afferat vel motui linguæ, vel deglutitioni, ſectio quidem laudata membranulæ exſanguis & excarnis periculo vacat, cauendum vero eſt, ne profundius fiat, cum metu hæmorrhagiæ, vel ipſius inflammationis; (3) ne callus intermedius improuida ſectione, adeoque idem impedimentum, quod timebatur, vel ranula ipſa ſequatur, & hinc (4) ne remedium grauius ſit morbo, nec ſymptomata alia vel mors ipſa quoque conſequatur, quo de vid. *Scultet. obſ. 90. armam.* & omnium optime *Camerar. centur. 6. obſ. 24. p. 38.*

Referri huc poteſt non modo ſuctus labiorum & linguæ ſonorus, iam dicto caſu, appetitus inſoliti impreſſi, das Schmatzen / ſed & in reſpirando vnum alterumque deprehenſum impedimentum, qualia duo cumprimis notauimus, hoc quidem loco obſeruanda.

Primum eſt frequentius, ſiquidem ſæpe ſtatim a partu in reſpiratione quidam ſonus ſe offert, cum difficultate aliqua, ſeu ab hauſto aliquo in enixu humore, ſeu in vtero adhuc collecto. Eo caſu optimum deprehendimus datum 1. puluerem ex rhabarb. elect. cinnabar. nat. a gr. ij. M.

2. ℞ pulv.

2. ℞ pulu. pectoral. ſpecif. cephal. a. gr. viij. theriac. gr. ß. olei aniſ. gtt. j. M. Plura vero ſuo loco dicemus.

Alterum rarius & extraordinarium vidimus in puero recens nato, qui dormiens optime reſpirabat, ſimul vero e ſomno euigilabat, ſonora voce reſpirabat, & dormiens quaſi ronchos ducebat, ſenſim magis magisque adauctos & ſonoros expreſſos, cetera ſanus, adeo, vt per totum conclaue exaudiretur, quod per nouem integros menſes durabat, quibus exactis penitus ſed ſucceſſiue reſtituebatur.

Cum vero omnis ſonus fiat a glottide, & vitium hoc ſit contrarium tuſſi, quæ eſt exſpiratio ſonora, ronchus vero hic aliusue ſit inſpiratio ſonora, videtur remora quædam & inæqualitas vel ab intemperie humida papillarum glandulоſarum, vel ab imaginatione matris impreſſa ſpiritibus idea tali oborta, indecoro in effectu magis, quam periculoſo viſo malo.

Curatio ipſa vero cum tuſſi, & aſthmate fere communis eſt, partim diuertendo lympham ad coagula pronam lenioribus laxatiuis, mannatis ipſis, clyſteribus, rarius vomitoriis, partim reſoluentibus, v. g.

℞ oxymel. ſquillit. ℥ß pulu. pector. ℈j vel. ʒß.
Sperm. atcet. rec. ℈ß. ⊖✻c aniſ. gtt. vj.
Olei bezoard. caſtorin. gtt. ij. M.

Deprehenſum vero & hic fuit, in malo producto viſo & terrifico primitus, neglectu quaſi, mora & expectatione opus eſſe, donec completum fuerit geſtationis antegreſſæ coæquatum ſpatium, ſiquidem nihil neceſſarii reuera neglectum fuerit.

CAPVT

CAPVT VI.
DE
Aphthis.

FAmiliare malum lactantibus infantibus ſunt aphthæ, etiam primis quaſi temporibus oriundæ, vlcuſcula nempe oris ſerpentia, vt *Celſus lib. 2. cap. 1.* vocat, & vertit ex *3. aphor. 21.*

Vt vero & in adultis hæ ipſæ aliquando occurrunt, quod in viro primario & virgine adulta ſcorbuticis inter alia vidimus, & hinc in ſimplices, ſcorbuticas & malignas, ſeu venereas, ſeu febriles quoque (in Belgio maxime occurrentes) optime diuiduntur: ita in infantibus priores magis viſuntur, & noſtri iam ſunt ſcopi.

Signa ſunt, color labiorum, linguæ, & faucium mutatus in alborem, cum ardore, quem & nutrix inde ſentit, ſuperficiarie in latum facta extenſione. Hinc minus commode & ſine moleſtia ſugere ac deglutire poſſunt, inquieti ſunt, quandoque etiam quaſi rauci & macilenti, Germ. der Soor/ Arabibus Alcola, Græcis ab vrendo dictæ, Belgis der Sprow.

Cum itaque manifeſta obſeruetur albedo, (vti optime de iis egit *Ebnſina, & Pechlinus cent. 1. obſ. 71.*) aliique, ordinarie, alias vero & flauus & niger color mali ominis in adultis occurrat, vt & calor & acrimonia, vnaque emittant interdum per os humorem ſaliualem, acrem, commode culpa vel in lacte, vel in ventriculo, vel in lympha, vel in ſingulis hærere ſtatuitur, pituitæ ſalſæ, acriuſculæ, vel bilioſæ ſimul, vel acidulæ efflorеſcentis reatu accuſando.

Hinc & nutrici proſpiciendum, & infanti, illi quidem defecantia, abſorbentia, & diſcutientia dando, v. g. eſſent. lignor. ſcord. ſerpent. Virgin. tinctur. bezoard. bezoard. martiale, antimon. diaph. arcan. duplic. vel triplicat. ſimpl. & camphoratum. Si opus videatur, & aluus leniter laxanda eſt. Tacemus generoſa alia, in adultis aliunde repetenda, antiſcorbutica, bezoardica, reuellentia, anodyna, veſicatoria, aliaque affluxum, acrimoniam & putrilaginem ſcorbuticam corrigentia.

Infanti vero ſuffecerit interius pulu. bezoard. minor, cum & ſine pulu. viperar. Italic. cinnabarina &c.

℞ pulv. bez. min. conchar. ppt. cinnab. nat. à ℈ß.
viper. Italic. gr. V. magiſt. anodyn. gr. iij. M.

Exterius optima ſunt attemperantia, abſtergentia, mundificantia, renouatiua, v. g. aqua fragorum per putrefactionem, acetum nucatum, id eſt, cum corticibus nucum iuglandium viridibus deſtillatum, ab *Heurnio Comment. 3. aphor. 24.* & alias communiter laudatum, vel acetum cum ſucco ſedi maioris, pimpinellæ, ſanguiſorbæ, betonicæ deſtillatum, ſirup. de ſymph. mororum, rob diamoron &c.

In grauiori caſu etiam tantillum ſpiritus vitrioli vel ſalis potius rectificati, cum melle roſato, dianucum vel ſirupo aliquo ex dictis, vel agreſtæ addi poteſt, quo tamen fere non opus eſt.

℞ aquæ fragor. ſedi mai. aceti deſtillat.
rob vel ſirup. diamor. a. ℥ij. M.

℞ ſir. de roſ. ſicc. de ſymphyt. a. ℥ij.
ſpirit. ſalis rectif. gtt. ij. ſem. lycopod. ℥ß. M.

Com-

Commode hunc in finem applicatur vna penicillus, pro abſterſione meliori, vti & aqua roſarum, vel plantaginis, ad abluendam linguam inſeruit ſola.

Tacemus vniuerſalia & ſpecifica alia, vt & remedium magneticum *Foreſti lib. 6. obſ. 21.* & hinc *Camerario Cent. 8. cap. 82. p. 143.* laudatum, per ranæ viuæ ori infantis factam applicationem repetitam, quod vel auerſationi archei, vel attemperationi adſcribi poteſt. Vid. *Michaelis*, *Ettmüllerus* & *Ferrarius*.

CAPVT VII.

DE

Regimine infantum, quoad balnea, vmbilicum, & intertrigine.

VT recens nati infantis altera præcipua cura eſt balneum, per dicta, idque moderate calidum, ad ſordes mucoſas & incruſtantes quaſi corpus abſtergendas; ita quomodo in progreſſu circa hæc procedendum ſit, dicendum venit.

Quamuis vero olim id continuare ſolitum fuerit, ſemel iterumque in hebdomade, vti & adultis magis cordi erant; attamen cum frequentiori vſu facile tenerum corpus effœminetur, & ad defluxiones diſponatur, reſpectiue hodie vſus crebrior minus locum habet, maxime hieme.

Sed vt munditiei nihilominus & tranſpirationis debitæ ratio habeatur, in eorum locum rectius ſucceſſit lotio quotidiana, in principio cum ſpongia, vino, vel vino & aqua imbuta, tepida adhibita, quæ ratio & roborat ſimul, & ſcopum melius aſſequitur.

Cumque *Hippocrates 3. aphor. 24.* vmbilici etiam inflammationem infantibus recens natis aſſignet, quæ vt aliis partibus vulneratis, ita & hoc loco accidere poteſt, conſultum eſt, & hanc præcauere, & attendere.

Et facta quidem rite reſectione funiculi vmbilicalis, & deligatione cum ſpleniis (Nabel-Läpgen) ſiccantibus & roborantibus, rarius quidem id contingit; attamen tum ad hanc, tum putrilaginem euenientem, pro re nata ſoliti ſumus aliquando puluillum roborantem balſamicum aſpergendum ordinare.

℞ pulu. ſerpentar. Virgin. ſcord. myrrh. el. a. ʒij.
thuris, camphoræ, a. gr. ij. M.

Frequens etiam inprimis infantibus eſt intertrigo. Vti enim in adultis, cumprimis habitioribus, a motu longiori id fit, cum membra inter ſe interteruntur & confricantur; ita loco huius in tenella ætate a ſudoribus, ſordibus, ipſoque accubitu & vicinia immediata: vtrobique cuticula delicatiſſima ſuperficietenus ſecedente, vnde quædam ἀναπαθεία, ſiue triſtis ſenſus exoritur, fratt / wie wund / cum rubore ipſo quoque. Viſitur hoc in commiſſuris partium, v. g. ſub axillis, in inguine, ſcroto, pudendis, natibus, circa anum, ipſiusque cubiti articulo, & pone aures, partibus humidioribus, ſudore non abſterſo, vt & ab vrinæ ipſius inundatione, wenn ſie naß liegen / lacte calidiori, & magis tranſpirabilibus.

Præſeruatur hæc ſeruata munditie, & perflabilitate, etiam linteaminibus debite commutatis. Curatur vero puluillis temperatis, ſiccantibus & roborantibus, ſimplicibus εὐπορίστοις, & compoſitis, linteaminibus concerptis, puluere

flor.

flor. roſar. rubr. balauſt. ſemine lycopodii, pompholige, quæ acidum abſorbent, intemperiem tollunt, excoriationem demulcent, curantque & firmant.

℞ ſem. lycopod. ʒiij pomphol. ver. ʒj.
myrrh. elect. gr. i. vel ij M.

℞ lactis lunæ, magiſter. ſacchari ſaturn.
pomphol. ſem. lycopod. a. ʒß. M.

Præſente maiori humiditate addi etiam lapis calaminaris poteſt; camphora vero, cum mordicet, vel minus, vel parcius ſolum addenda. Facit huc & amylum ipſum vulgo vſitatum, vtque tenerius ac delicatius afficiant puluilli hi, conſulto e rariori linteamine leuiter nodulo incluſi & digito incuſſi inſperguntur diapaſmata.

Obſtetricantur iisdem & præmiſſæ lotiones ſimplices cum ſola aqua, & quando coeuntes puluilli farinacei inſperſi deſiderant elui, ne inæqualitatem inferant.

Rarius vero paulo in grauiori ſtatu ruboris & ardoris linimenta temperate refrigerantia & demulcentia locum habent, vt & ipſa emplaſtra ſaturnina aliquando, quæ vtraque fere magis in adultis conueniunt ab attritu læſis partibus, vt ex ſebo ceruino, vnguent. de ceruſſa, diapomphol. roſatum rubrum, deſiccatiuum Pharm. Londinenſ. &c.

Cumque & ipſum caput facile ſordes concipiat, niſi munditiei ſtudeatur, optimum εὐπόριστον & receptiſſimum eſt butyrum recens, vt eodem illinatur idem, & hinc aliquo tempore poſt emollitione commoda facta, pectine mediante blande remoueantur, ne acrimoniam concipiant.

CAPVT VIII.

DE

Strabiſmo & luſcioſitate.

MAture etiam oculorum cura habenda, & hoc quidem loco quoad viſum, ne ſtrabones & luſcioſi ſeu myopes euadant, quod vtrumque etiam hac ætate gigni aſſolet.

Strabiſmus etiam in magnatibus nonnunquam obuius, ipſa autopſia diſtortos & conformatione ſaltim minus ſymbolica gaudentes quoad motum oculos offert. Cum enim alias viſus fiat in linea recta, vnitis & ad idem punctum ceu axem ex oppoſito directis & concurrentibus oculis, tanquam cauſis ſociis, quæ ſtant pro vna, hic contrarium fit.

Enimuero culpa vnice redundat in motum voluntarium & directum requiſitum, qui a muſculis oculorum, nominatim abducentibus & adducentibus perficitur, ob organi rotationi debiti inæqualitatem, mutatum. In latitudine ſua talis ſtrabiſmus vel connatus eſt a primo ortu, vel inductus, ſeu adſuetudine, ſeu occaſione quacunque ad flexionem diſſimilem inuitante ſeu diſponente.

Faciunt huc exempli loco motus conuulſiui & epileptici continuati ac grauiores, vbi mire diſtorquentur ſæpe oculi, ob teneritudinem hinc tendinum membraneorum tenſorum magis inæqualitate conſurgente. Idem etiam a vulneribus, ab ambuſtis, ab inflammationibus, aliisque caſibus & læſionibus, vbi deligandi ſunt oculi, fieri poteſt.

Præter morboſum hunc ſtrabiſmus etiam ſpontaneus in

adultis quibusdam pro lubitu exprimi poteſt, vt affectatus, vel a mala conſuetudine quoque inferri, maxime vero ab obiecto lucido v. g. candela accenſa, ad latus alterutrum conſtanter directus & inuitatus obtutus hanc inæqualitatem inferre aptus natus eſt, vno oculo promptius, altero minus reflexo, ſenſim ſic elateris, alias concentrici, inducta debilitate.

Vti vero connatum malum proprie in conformatione primæua ortum minus curari valet, quaſi facultate læſa; ita ab errore externo aſcititium, modo mature id aduertatur, & ſedulo contraeatur, vel perfecte curare annitendum eſt, vel ſaltim ſecundum quid, vt minorem deformitatem præ ſe ferat.

Hinc curandi ratio in eo conſiſtit, vt partim interna impedimenta ſuſtollantur, partim in contrarium annitamur detorſionem inflectere, & æqualitatem directiuam orbitæ communi vel quaſi reparare ac inferre.

Illud fit medicamentis ſtricturam iuuantibus, roborantibus & reſpectiue laxantibus; conueniunt hinc interius præter vniuerſalia, neruina, antiſpaſmodica, cinnabarina ſuo loco fuſius laudanda, nonnunquam etiam externa ſeu fotus, ſeu litus, quorum inſtar omnium eſt pinguedo viperarum recens illita cantho oculi, vel palpebris quoque ipſis.

Præſeruandi fine infantes recens nati minus in latus decumbere debent, commodius etiam in cunis circa caput vimineus arcus contextus, vel panno tectus, ad defendendos & in æquilibrio tenendos oculos locum habet.

Deinde ad directum aſpectum lucis adſuefaciendus infans, non obliquum & lateralem, vel poſticum quoque, magis ad anticum & deorſum reſpectiue magis.

Quod ſi iam ad vnum latus magis deflexus fuerit oculus ad lucis vſuram, indeque ſtrabiſmus metuatur, vel fieri

iam

iam incipiat, in oppoſitam ſeu aduerſam partem reflectenda fuerint lumina.

Excogitata hunc in finem etiam ſunt inſtrumenta, viſum ſeu oculi motum ſpecificum dirigentia, ſiue mediante larua id fiat appropriata, ſeu cupula inſtar putaminum nucum iuglandium ex ferro vel argento perforata, quod a recentioribus commendatur. Vid. inſtar omnium *Camerarius cent. 14. part. 22.* & ibi citati, item *cent. 11. part. 40. ſeq. Hartmann. in praxi, & Solingen in chirurg. part. 1. cap. 32.* & alii.

Pertinet huc & luſcioſitas, inprimis latius ſumpta, vt ab elatere pupillæ læſo ſtrictior *μυωπία*, quæ ex communi vitio, ophthalmia, ſeorſim oboriri poteſt: vt & vibratio oculorum, quam inſtabilitatem *ἵππον equum* vocant. Quod ſi infantes paulo iam prudentiores fuerint, etiam intuitu ſpeculi & alias admonendi ſunt vtrobique: ſeu in ſingulis hiſce, vt annitantur ipſimet deſueſcere, nec indulgere conſuetudini prauæ, ſed contraniti omni modo.

Tacemus perſpicilia etiam hinc pro *μυωπία*, diuerſa ab aliis communibus dari commoda, Minnen-Gläſer oder Brillen/ & nutricem quoque luſcam, vel ſtrabismo laborantem non adhibendam.

CAPVT IX.

DE

Primo infantum alimento & medicamento.

EDito feliciter in lucem infante præmiſſa ſeparatione vmbilici, & abſterſione per balneum externa, altera iam cura eſt, vt eidem de nutritione & abſterſione interna proſpiciatur.

Ad quietem itaque compoſitus aliquandiu ſibi relinquitur, neque ſtatim mammæ admouetur, tum quia lac non æque ſuppetit, tum quia ſanguinis materni portio relicta in eius vſum cedit.

Cumque nondum ventriculus, & inteſtina primæ culinæ munus ſubierint, vel eidem aſſueta ſint, & teſtimonio meconii reſtitantes feces nigricantes illæ abſtergi amant, ne acidum bilioſum fermentificum negotium faceſſat, ſed tubuli glandoſi aptentur in viæ regiæ munus.

Ita enim præſeruari poſſunt tormina, inquietudo, motus ſpasmodici, epileptici, & apparari alimentum pro incremento felicius. Hoc nomine curioſius alii vini parum concedunt, alii theriacæ momentum, quidam etiam ipſa emetica non reformidant præmittere, & hoc ipſo etiam variolarum prouentum præcauere ſuſtinent. Dare etiam ſoliti ſumus puluillum præcipitantem epilepticum pro ſtatu diuerſo.

Vti vero blanda vomitio ſatis commoda eſt, ita conſultius fuerit, niſi quid vrgeat, leniſſimum tale præſidium, potius *κάτω* deflectere inquinamenta reſidua. Innuit hoc ipſa natura, quandoquidem primum lac ſeroſius huic indicationi fauet, & reſtitantia in inteſtinis recrementa, nondum excretionem in vtero nacta, elutriando repurganda.

Receptiſſimum hodie & ſolenne tale eſt amygdalatum, ſeu mixtura ex ſaccharo penidio temperato, & oleo amygdalorum dulcium recens, ſine igne inprimis, parato, primitus ſic per diem v. g. ſucceſſiue ori ingerendum. Sin rancidum ſit, tuſſim mouet, & dandum non eſt. Ita vero nutritio prima & vna abſterſio optime obtinetur.

Ratum itaque eſt, & iuri naturæ ipſi congruum, lac optimum eſſe infantis etiam humani, longius præ aliis indigi, alimentum. Vtut enim extraordinarie quandoque viſi ſint etiam aliis liquidis enutriti, non temere tamen ab hac via regia deflectendum eſt.

Minus nempe huc facit aqua decocta, ſeu cum fœniculo, ſeu aniſo, aliisue, pultis acceſſu ſupplendo alibili ſucco, alioqui crudior paulo & inſufficiens. Idem ſentiendum de cereuiſia, & ſimilibus, ſub dictis legibus.

Paradoxus etiam in hoc viſus *Helmontius*, alimentum quidem *Libr. Infantis nutrit. ad vitam longam* hoc, ſiue lac non negans, ſed beluinum, nec ad vitam longam inſeruiens putans, vnde inſolitum potius lacti præfert exoſo & inculpato aliud.

Tale vero ſingulare parari iubet 1. ex pane, ſed minus e ſecalino, 2. cum tenui cereuiſia bullito, 3. cum melle deſpumato vel ſaccharo, donec velut in mucilaginem vel gelatinam ſpiſſeſcat, hinc iterum diluendam cum cereuiſia tenui, pro potu ordinario, cuius experimentum fecerit in Comitis filio quodam.

Sed vt verum fateamur, tantum abeſt, vt lac ſit reprobandum, & huic potui poſtponendum, vt potius longe potiores laudes mereatur, 1. quia nutritio hæc incongrua eſt temperiei calidæ humidæ delicatiori, 2. operoſius apparatur, & in corpore hinc conficitur, præ lacte ſtatim ſuo, 3. facilius corrumpitur, 4. fermentis peregrinis fauet, 5. minus ſimplex eſt, & reliqua.

Quod enim arguit 1. lac aceſcere in ventriculo, ex ſua hypotheſi fallit, indeque ſymptomata varia oriri, mel enim & ſaccharum non ſolum aceſcere, ſed & bileſcere aſſolet magis; quod 2. crimina lactis adducit contagioſa, morboſa, quod

3. clan-

3. clandeſtinum coitum; quod 4. mutetur in horas, ab omnibus animi perturbationibus; id omne facile dilui poteſt, modo notæ electionis adhibeantur.

Circa lac igitur tria potiſſimum ſunt conſideranda: (1) lac ipſum in ſe, quoad quantitatem & qualitatem, (2) nutrix, ſeu mater ipſa, ſeu vicaria, & (3) εὐφορία, ſiue vſus, a iuuante vel nocente arbitranda.

Lac ipſum ſufficiens eſſe debet, quod niſi fiat, defraudatur infans, & fruſtra ſunt omnia medicamenta; cuius rei argumentum eſt, vel ſuggerit mammarum conſideratio, & vrinæ minor copia; cauendum hinc, ne a nutrice decipiamur. Hinc & defectus papillarum, vt a variolis oriundus, a nobis viſus, neceſſario prohibet, ne poſſint lactare matres, nec ſugere infans.

Probatur lac in ſe ratione qualitatis, colore, odore, ſapore, & conſiſtentia, potiſſimum a priori. Color albidus, non flauus, odor nullus, ſapor dulcis, conſiſtens in vngue, non tenuius, ſeroſius, nec ſpiſſius. Illud enim facile diarrhœas citat, tormina, & inflationes; hoc corpulentiam quidem largitur, ſed ſuſpectam, argumento *1. aph. 3.* inde enim facile fiunt epileptici, & moriuntur citius.

Nutrix, ſi fieri poſſit, congruat cum ætate & temperamento puerperæ, non vetula, ſeu quoad annos vitæ, ſeu quoad lactationis tempus, non ſcabioſa, ſtrumoſa, phthiſica, ſcorbutico vel venereo fermento fœta. Sana vno verbo, non iracunda, malæ famæ, venerea, ſiquidem morbi ſeroſi, vt tuſſis quoque & mores ipſi, non raro facile communicabiles.

Duplex vero lac a gemina nutrice, matre & vicaria, minus fere prodeſt ordinarie. Quod ſi conducere obſeruetur,

non temere mutandum eſt. Sin minus, primum correctioni ſtudendum (non omnes enim infantum morbi a lacte) nutrici propinando carminatiua, diaphoretica, renouatiua, neruina.

Quando vero, nec ipſi, nec infanti data remedia proſunt, ſed augentur tormina, clamores, inquietudo, ſymptomata alia perſiſtunt, conſultum eſt experimentum innoxium ſuctionis ab alia lactante capiendum, &, conſtante δυσφορία, mutanda eſt.

Neque etiam vel maturius ordinarie ablactatio inſtituenda, vel longius cum vulgo producenda, maxime ſi corpulentia videatur maior, vnde medium quaſi tempus, (vtpote congener geſtationi) conſtituunt nouem menſes, etiamſi dentes nondum eruperint, modo potum alium non abnuat.

Quod medicamenta attinet, etiam infantibus omnino præſente indicatione neceſſaria, nec nulla, nec affatim temere danda huic congrua. In genere pro corrigendo bilioſo, pituitoſo, acidoue prouentu, ſeu a meconio ſeu lacte oriundo, conueniunt partim blanda abſorbentia, teſtacea, in puluillo præſertim danda, adeoque roborantia & alterantia, partim lenientia & defecantia, mediaque inter vtraque anodyna, neutra infantibus deneganda, ſed optima ſunt remedia.

Sic præter ſirupum de cichorio cum rhabarb. & mannam, quæ dulcia moderatius quidem propinanda, pro illo fine puluis gialapæ ad gr. j. vel alterum, præcipue cum cinnabari natiua, commode datur a natiuitate, pro re nata etiam repetendo idem tempore puerperii.

Accidit hoc nomine aliquando, vt infans mature patiatur inquietudinem, & minus placabilis deprehendatur. Illo

caſu

caſu non iuuantibus aliis, adhibuimus etiam triduano ſaltim filiolo, cum ſucceſſu, clyſterem, pro deplorato iam habito.

CAPVT X.

DE

Ictero infantum.

NOnnunquam etiam ſtatim primis diebus icterus infantes corripit, modo leuior, improprie quaſi paulo dictus ſpurius, modo magis exquiſitus, vti vidimus etiam matrem ipſam puerperam ictericam, cum flaueſcente ſaliua quoque.

Oritur hic, prior inprimis, a tinctura bilioſa viſcida meconii cum chylo communicata, & ſic lympham inficiente, ſponte fere breui cedens, vt alter ab obſtructione tubulorum biliariorum, & ſine febri fere in hac ætate magis.

Vti vero in lactentibus adhuc velut diuiſa opus eſt cura, partim matri, vel nutrici, partim infanti ipſi proſpiciendo, vt in aliis quoque, ita & in ictero idem valet. Vtrobique rhabarbarina omnibus aliis etiam purgantibus contra valent, ſeu in ſubſtantia dentur leniendi & alterandi fine, ſeu in receptiſſimo ſirupo de cichor. cum rhabarb. pro ratione ætatis.

℞ ſirup. de cichor. cum rhab. ℥ij.
rhapont. vel rhab. gr. IV. cinnabar. nat. gr. ij. M.

Matri vero magis affectæ infuſum antictericum propinandum, vt penitius vis aperitiua ſe inſinuet, ex radicibus quinque aperientibus, cichor. chelid. maior. herbis cuſcut.

 fragar.

fragar. hepaticæ nobilis, rhapont. ſummit. cent. min. fumar. croco &c. floribus calendulæ, hyperici.

Quod ſi non lactet amplius, ſed paulo adultior ſit, anima rhabarb. antimoniata, tinctura martis temperata, & alia propinari quoque poſſunt, cum reliquis ætatibus communia, ſed doſi congrua.

℞ troch. de eupator. pulu. cachect. bezoard. martial. rhab. elect. a. ℈j. olei calam. aromat. gtt. j. M.

Sin a febri tertiana correptus fiat ictericus, quod inter alios in infante vnius anni vidimus, ſeorſim nutrici bilem temperantia & aperientia propinanda, & china chinæ potui indenda, vbi & oleum febrifugum aliquot horis ante paroxyſmum dedimus eidem cum ſucceſſu, teſtacea vero patienti ex conchis præparatis, antim. diaphoret. &c.

Aloetica vero laxandi hoc vel alio fine reſpectiue infantibus minus proficua obſeruantur, vti nec crebrius debito bilis largius expurganda, tum in genere, tum ſeorſim diagrydiatis, quod non ſolum humidum nutritium abſumant, ſed & bilem balſamum ſanguinis ſuffurentur, quo de inſigne exemplum habet *Mœbius, Fund. Medic. Phyſiolog.*

CAPVT XI.

DE

Arenularum excretione & vrinæ difficultate.

EST & illud notabile in recens natis, & hinc aliis quoque infantibus, quod & vrina ſabuloſa excernatur, rubra, & meatui vrinario concrementum tale arenoſum inhærere interdum viſatur; hinc & con-

coniunctim vel ſeorſim quoque vrinæ quædam remora & ardor corripiat; cui vtrique obuiam eundum quoque.

Et ſabulum quidem ſine dubio debetur tartaro, ſeu partibus ſalino-terreis in renibus, ſeu in veſica maturius ſeparatis, vnde & vrina aliquando albet magis, in aliis aquoſior apparet; vel potius, quantum huius eſt loci, parciori prouentu rariusque excernitur.

Prius illud ſponte vtplurimum cedit, neque ſemper calculum parturit, vel præſagit, quo de ſuo loco; attamen & illud non negligendum penitus, & quoad alterum tum viis conſulendum, tum archeo excretioni huic præſidenti, in renibus puta & veſica, huiusque ſphinctere.

Vti itaque in infantibus ad vitia humorum, pituitoſum, billioſum, acidum, flatulentum, tartareum &c. reſpiciendum; ita & hiſce caſibus per debita corrigentia, reſoluentia, roborantia, diſcutientia. Nonnunquam etiam difficultati vrinæ coniungitur ſpaſmodici quid, ſeu epileptici quoque, vnde merito vtrique huic proſpiciendum ſimul.

Specificum hinc optimum deprehendimus ſemen lycopodii, cum cinnabarinis commode remixtum, leuiſſimum cum grauiori, vnde medium conſurgit, maxime ſi medium molliuſculum aliud, vel oleoſum quid remiſceatur. Specificum

℞ ſemin. lycopod. ℈ß. cinnab. nat. gr. v.
mag. oc. ♋. ſuccin. alb. præp. ſperm. cet. albiſſ. a. gr. iij.
ther. cœl. gr. ¼ ſpirit. ſal. amm. aniſ. gtt. ij. M.
vel ℞ pulueris huius quantum ſatis (inprimis loco ſuccini præparati recepto ſale ſuccini volatili)
rob alkekengi quantum ſatis. M.

quod ipſum in iſchuria infantili optime profuit. Exp: ad Iſchuria infantilem

In

In adultioribus paulo tum debitis reſoluentibus vtendum, tum aliis, quæ ſuo loco de calculo infantum dicemus, poſſunt enim & ſolent hæc ſeorſim quoque ſe exerere, v. g.

℞ tinct. tartari ℈j. ʒß. olei aniſ. gtt. ij. M.

Nutrici vero conſimilia conſulto propinari queunt vna, alcalina, carminatiua, neruina & reſoluentia mixta. Nec anodyna, ob reſoluendi vim ſimultaneam, æque negligenda.

Exterius vero inter εὐπόριστα vel ſolum oleum ſcorpionum, ſimplex vel compoſitum, ſufficit, dorſo vel pubi quoque illitum, facile cum aliis remiſcendum, & vmbilico quoque hinc applicandum.

℞ olei ſcorpion. ʒj petr. alb. ℈ß.
iunip. chamom. deſt. ſuccin. alb. a. gtt. iij. v. M.

In hydropotis ſeorſim frequentior paulo eſt hæc difficultas, a nobis viſa, ſed quoniam cum aliis affinibus communia fere remedia proſunt, hæc illuc differimus, neque etiam ſimplici huic difficultati vel balnea, vel clyſteres æque ſunt neceſſarii, quæ ipſa tamen & ſuum alioqui locum habent. Et hæc enim, & alia, pro archeo veſicæ roborando debita, vt cepæ vel allium ſub cineribus cocta, ſunt communia cum reliquis.

CAPVT XII.

DE
Torminibus infantum.

VT ſomnus ſanitatis in infantibus indicium, & clamor morbi ſignum, vel ſolus hic frequentiſſimum eorum ſymptoma, tormina, ſeu dolores ventris infimi indicat; ita hic, præ reliquis

quis etiam tum locum, tum focum morborum ſuſtinet & attendendus eſt.

Cognoſcuntur vero ſatis ſuperque ex inquietudine, maiori vel minori, quando nec geſtati, nec in cunis moti, vel porrecta mamma quieſcunt, ſed agitatione manuum, pedum, ſtrampfen / citra vllum ſomnum, optimum alias infantum pabulum quaſi & præſidium, male habere pergunt.

Conſideranda hinc cauſa dolorifici affectus, quæ vel in nutrice hæret, eiusque erroribus in diæta, vel in corpore ipſo, & extraneis. Sic a cereuiſia recenti, feculenta, vel antiqua, acidiori, vel aliter mutata, non æquali, a mammis minus a frigore defenſis, a flatulentis fructibus æſtiuis, braſſica muriata & ſimilibus, a morbo eiusdem hoc illo, ab ira, terrore &c. eadem fiunt.

Sic an a dentitione, ab alui adſtrictione, vel fluore, fecibus inprimis virideſcentibus, lenticularibus, lacte corrupto, a calore præternaturali, ἀδδηφαγία, ſorditie, & morſicante vrina, a vermibus, a flatibus, ab inæqualibus pennis lectorum, a terroribus, ira concitata &c. foueantur, inquirendum, vt ſpecialius mederi & cauſam remouere liceat.

Quod ſi hinc aluus adſtricta ſit, vel quaſi, ſaburram euacuare par eſt, & ſi hoc non ſufficiat, clyſtere eluere mucum acido-bilioſum; ita ſæpe etiam a ſola gialapa vidimus indormiuiſſe, non ſecus, ac ſi anodynum aſſumpſiſſent.

℞ puluer. gialap. ſpecif. cephalic. a. gr. ij. vel iij.
ſpirit. ſal. ammoniac. aniſ. gtt j. M.

℞ decoct. cerefol. & flor. chamom. ℥ij. vel iij.
olei rutac. ʒiß. ſacch. Thom. ℈j. M. F. l. a. Clyſter.

Et hos facillime admittunt, ſed cauendo frigidos.

Sunt, qui & puluere aniſi ſolo vtuntur ad laxandam aluum. Minimum carminatiua talia aromatica, εὐπέψια,

nutrici commendanda ſunt, ne de oleo amygd. dulc. & aliis dicamus.

Cum vero omnis dolor, grauior inprimis, aliquid ſpasmodici & inferat, & minitetur, his ipſis neruinis & tormina compeſcuntur, vti etiam a ſola cinnabari vidimus factum, & ſatisfit aliis indicationibus; cum & ſine anodynis datis.

Tantum enim abeſt, vt noxia ſint infantibus, vel dari non debeant, vt potius ſint & neceſſaria & longe optima, inprimis aluo ſimul laxiori, vel prius laxata, vnde vulgo & theriacam Andromachi toto die cum ſucceſſu propinant in torminibus mulierculæ ad gr. j. vel quantitate piſi, ipſique medici curatiores.

Optime vero huc faciunt vna ipſa abſorbentia, præcipitantia, & laudata inuicem mixta, v. g. conchæ præparatæ dudum Germanis probatæ, ocul. cancr. pulu. e chelis cancr. pulu. bezoard. epilept. Marchion. corn. ceru. philoſoph. &c.

℞ conch. præp. gr. v. vel ℈ß. extr. anod. punct. j. M.

℞ conch. ppt. pulu. bez. mai. (vel min.) ☿ nat. a. gr. iv.
theriac. Androm. gr. j.
ol. aniſ. gtt. j. vel extract. anodyn. punct. ij. M.

℞ magiſter. anodyn. gr. iij. iv. D.

Seorſim vna nutrici conueniunt etiam liquida, generalia & ſpecialia, characterem acido-bilioſum corrigentia.

℞ eſſent. carminat. tinct. bezoard. a. ʒj.
eſſ. caſtor. anod. ~⊖✱ci aniſ. a. gtt. v. M.

Quo de etiam infanti paulo adultiori guttulæ quædam propinari queunt.

Ex-

Exterius quoque tenſioni, cruditati, & inflationi dolorificæ opponenda linimenta, abdomini & vmbilico illinenda.

℞ olei rutac. (anethin. caſtorin. hyoſc.) ℥j. vel ij.
chamom. deſt. aniſ. caru. ſuccin. alb.
rut. ver. a. gtt. ij. M.

non omiſſis fotibus ſiccis & ſacculis paregoricis.

Sin minus ceſſent dolores clamoſi, his propinatis, partim clyſteres ex vſu ſunt iam commendati, abluentes mucum acetoſum; partim, an aliunde dolores ortum agnoſcant, reſpiciendum, ſeu ab arenulis, ſeu quibuscunque aliis cauſis arceſſendi.

Continuandum hinc medicamentis appropriatis, etiam in futuros vſus, noctu maxime præſto habendis, ne quid negligatur. Notandum vero, vt, aluo inprimis ſimul adſtricta, oleum amygdalorum dulcium ſine igne laudatum commode dari poteſt: ita theriacalia illo caſu, ſecus ac vulgus credit, minus conueniunt. Tacemus, reliquis non iuuantibus, commode lac alterius nutricis poſſe ſubſtitui, vel ſuggeri, vt, an culpa vacet, magis ſic conſtet.

Capvt XIII.

De *Pauoribus, motibus conuulſiuis & epilepſia.*

INter morbos vniuerſales & magis obſeruandos, præcipuos, qui & reliquis omnibus veluti coniungi ſolent, eademque variare, duo ſunt inprimis, febris, & κατ' ἐξοχὴν epilepſia, etiam a primo ſtatim ortu timenda.

Probe vero diſtinguendi huius ſunt gradus, & modi inuaſionis. Alia enim eſt longe exquiſita, & vniuerſalis quaſi, quæ cerebrum & hinc totum truncum occupat, & cum motu conuulſiuo ſenſus ipſos detinet. Alia magis particularis, ſub illa quidem militans quoque, ſed & ſeorſim viſenda magis.

Altera conſiderandi ratio eſt, quod alia eſt eſſentialis, alia per conſenſum, v. g. vel a ſola febri; quamuis & hæc in illam abire queat, ex quibus maxime hinc variat tum prognoſis, tum ipſa quoque curatio.

Sic *gradus quaſi primus* eſt pauor, ſtridor dentium, & concuſſio in ſomno, & vigiliis quoque ipſis, aliquando ſurſum quaſi a terrore retractis partibus, cum vel ſine clamore. Seorſim etiam aliis manus, pedes, lingua, oculi, caput mouentur.

Spectat vero huc etiam epilepſia implicita, vel latens quaſi, Germ. der innerliche Jammer / ſenſus minus incurrens, præterquam clamore in viuis, poſt mortem vero liuore abdominis, dorſi & aliis ſatis conſpicua.

Imo hæc in adultioribus etiam mirum quantum variant. *Medius gradus* eſt, magis tamen vel minus perfectus & completus, qui per paroxyſmos ſtatos, vel incertos, crebros vel rariores inuadit, ſæpe etiam ſola nocturna, vel media incompleta; Alia quaſi ſaltatoria, aliaque ſtataria, quæ ſeorſim quaſi notabilis eſt. Alia notis certis imminet, vt decumbere poſſint, prius, quam concidant, quorum ſingulorum miranda ſæpe exempla vidimus.

Pertinet huc ſpuma ante os, conſtrictio pollicis, pectoris, abdominis, eiusque quaſſatio, quæ ipſa cum conuulſione vniuerſali, & ſenſuum internorum & externorum de-

detentione, ac concuſſione maiori *gradum tertium* abſoluit, & exhibet. Quibusdam ſyncope conuulſiua audit, cum qua tamen alias, tum in infantibus, tum aliis, confundenda non eſt, vti ſæpe hoc nomine occultatur.

Summa inter hæc eſt ſimultanea, vt ita loquar, & vrgentiſſima, quæ ſtatim irruit, & extremos habet labores & gradus, & ſæpenumero intra vnam & alteram horam funeſta. Vidimus hoc olim in duabus vicinis fere ædibus, in geminis infantibus, continuato ad mortem vsque vno paroxyſmo continuo. Idem & ante annum in puello egregio quatuor annorum ob terrorem ſympathicum factum, citra vllam interpolationem eodem die lethalem.

Commode etiam diuiditur in praxi in primariam, ſeu ſibi relictam, ſine vllo alio morbo; in comitatam, ſimul cum alio, vt febri, dentitione, variolis; & ſymptomaticam magis, v. g. a torminibus & doloribus maioribus exortam, vt a pernionibus vidimus, alui fluxu &c. Faciunt huc & cauſæ προηγουμέναι, ſeu internæ, & προκαταρκτικαὶ, occaſionales externæ, & excitantes, & producentes, a priori & a poſteriori.

Inter cauſas enim hasce, & a nutrice ſeu matre quoque repetendas, primas tenent animi affectus, mœror, ira, terror, epilepſiæ quaſi mater; ita veſperi a mœrente ſumme matre mamma porrecta, fruſtra, ne id committeret, rogata, nocte ſequente epilepſia ſaniſſimum infantem corripiebat, aliquoties hinc repetens.

Conſiderare circa hæc & aſtrorum influxum fas eſt, tum a priori itidem, ex Lunæ & Mercurii infauſtis aſpectibus tempore natiuitatis, partim inter ſe inuicem, partim Saturni vel Martis quoque ad vtrosque hos planetas; tum a poſteriori, ſi ad lunationes occurrentes platicas vel partiles, redeunt inſultus, quos hinc lunaticos dixere.

Ex his vero & aliis efficitur, non vnum ſubiectum, focum & locum, non vnam cauſam ſpecialem, non vnam prognoſin, nec curationem ipſam æque eſſe ſemper, ſaltim præſeruatiuam, inprimis, ſi intermittat, nec vrgeat nimis.

Mirum quantum ſeorſim differt epilepſia eſſentialis laudata, a domeſtico cerebri malo, & primaria irritatione elaſtica, concusſiua, radicali oriunda, vel talis reddita, rebellis admodum, a conſenſuali quacunque, reſpiciendo tamen in ſingulis ſpeciebus ad infimum ventrem, neruoſum genus, maſſam ſanguineam, & reliqua.

Conueniunt tamen omnes ſpecies etiam ad πλήρωσιν καὶ κένωσιν, *Hippocratico*, more *6. aph. 39.* relatæ, in vellicatione fibrarum neruearum delicatisſimarum, principaliter in meningibus, ſeu membranis nerueis cerebri, adæquate in aliis quarumuis partium.

Et hæc vero debetur ſalino-ſulphureo, ſeu acido-bilioſo, elaſtico, vaporoſo magis, & volatili, vnde & poros replendo ſenſum adimit, velut ecclipſi inducta, & ſpiritus in motus ſeu ſpasmos inordinatos citat. Patet id vel exemplo conuulſionis non epilepticæ, vbi & ſenſus adſunt, & dolor & tenſio, ſed fixa magis. Et hæc ipſa quoque, licet rarius, in infantibus occurrit, etiam vniuerſalis, vti tetanum vidimus in puero ſex annorum funeſtum.

Paroxyſmos vero eorumque cauſam illuſtrat fermentum irritatiuum, nouiter quaſi ſubinde animatum vndecunque, diſploſiuum hinc redditum, diuerſo gradu, donec iterum conquieſcat ſopitum, vnde & obſtructio quædam particularis, & putrilago lymphæ acidula concipienda, ſaltim hoc loco in glandulis & poris cerebri, more ſimilium fermentorum, vnde aura conſurgit turbatiua.

Hinc

Hinc diſſipandæ huic, corrigendæ, edulcandæ, infringendæ tanquam cauſæ primæ, reſpectu effectus, vnice ſtudendum; ſecundæ vero, ceu mineræ, fomiti & fonti, deſtruendæ & annihilandæ.

Cum itaque medicus præcipue fere vocetur præſente paroxyſmo, pro circumſtantiarum ratione eiusdem prudentiæ committitur, quid primo, quid ſecundo loco curandi, & hinc præſeruandi ergo, propinandum ſit.

Ita interius volatilia vrinoſa penetrantiora locum habent magis, vbi fixiores paulo ſunt ſpiritus, & excitatione archei opus eſt, ex liquore cephalico, corn. ceru. ſuccinato, ſale volat. ſuccini, caſtorinis &c.

℞ aquæ lil. conu. cum vino, vel alterius ℈j. ʒß. vel j.
ſpirit. ſalis ammoniac. volat. gtt. V. VI.
liq. C. C. ſuccinat. eſſent. caſtor. a. gtt. IV. M.

℞ M. S. rectif. liqu. C. C. ſuccin. ſpir. ⊖✱ci a. gtt. viij. X. ℈ß.
aquæ epil. Lang. vel lil. conu. comp. cum caſtor. ʒj. M.

Non terreri vero æque debent parentes, ſi inde moueri videantur paulo ægri, vt fieri ſolet, quod malum non eſt, ſed bonum potius. Et hæc liquida concentrata facilius cum cereuiſia vel aliis poſſunt ingeri.

Sin duret paulo longius paroxyſmus, vel morbus ipſe potius, commode potiunculæ præſcribuntur, ſubinde ingerendæ, non vni indicationi ſatisfacientes. v. g.

℞ aqu. ſcorzon. ceraſor. nigr. lil. conuall. (pæon.)
fl. tiliæ, hirund. cum caſtor. a. ℥ß.

theriac. cœleſt. gr. ij. pulu. epilept. March. ℈j.
cinnab. nat. Hungar. pulu. bezoard.
℈✳ci vel liqu. C. C. ſuccinat. a. ℈ß.
lap. bezoar orient. gr. iij. M.

Ipſa etiam bezoardica, vt aliis caſibus, acutis præcipue, ita etiam hoc ipſo, cum ſpecificis longe ſunt optima. Rarius vero ſolemus vel dulcia, vel acida, præterquam refracte, remiſcere, vel fermentatiua alia. In adultis vero ſpir. vitriol. epilepticus, elix. cephal. & alia conſulto adduntur.

Pulueres vero fixiores paulo acido elaſtico debentur, interpolandi cum aliis, &, ſi dolor adſit, anodyna quoque remiſceri poſſunt.

℞ pulu. bezoard. cinnabar. nat. a. gr. v. ℈ß.
caſtor. gr. j. M.

℞ pulu. epilept. Marchion. cinnab. nat. a. ℈j.
dent. hippopot. lumbr. terreſtr. præparat.
cran. human. præparat. a. gr. v.
♀ ꝫii correcti vel puri gr. iij. M. F. pulu.

℞ ſpecif. ceph. ſerpentar. Virg. cort. chaquer. a. ℈ß. vel j.
bezoard. ſolar. gr. iij. M.

Optime etiam proſunt clyſteres, crebriori experientia, exceptis variolis, & aliis quibusdam caſibus.

℞ rad. pæon. alth. a. ʒij. herb. ſalu. rut. roſmar.
flor. ſtœchad. Arab. lil. conuall. paralyſ. a. p. ij.
caric. pingu. n. ij. ſem. aniſ. ℈j.
Coqu. in ſ. q. aqu. ſ.

℞ colatur. ℥ijß. olei rutac. ʒij.
ſacchar. Thom. gr. XVI. vitell. ovor. par. M.

Exem-

Exemplum egregium epilepſiæ ſolis clyſteribus præſeruatæ vid. apud *Hoffmann. lib. de vſu & abuſu chim. pag. 48.* ſeq. Valet hoc maxime, ſi aluus ſit obſtructa vna, ad temperandam & educendam acido-bilioſam vel pituitoſam amurcam, & alios vſus, maxime reuellendi ad inferiora.

Eidem ſcopo & externa remedia ex vſu ſunt. Ita communiter rutam, allium, caſtorium, aſam fœtidam ipſam, & alia applicant. Vaporoſa vero repletiua facile caput grauant nimis.

Præſtat ex ſimplicioribus balſamum rutæ, ſuccin. apoplect. & communia refectiua.

℞ ſpirit. apoplect. ℥ij ſalis ammon. volat. ℈j. ʒß. eſſent. caſtor. ℈ß. ol. rut. ver. gtt. IV. M.

℞ balſam. rut. ſuccin. alb. a. ℈j. caſtor. gr. j. M. ad tempora, nares, plantas pedum &c.

Non incommode quoque linimenta oleoſa illinuntur vmbilico, ſpirituoſa & neruina caſtorina ſpinæ dorſali, ipſique bregmati & nuchæ, ad demulcendum, roborandum & mitigandum.

Hæc vt vrgenti affectui debentur, ita coniunctis aliis, vel cauſantibus velificandum ſpecificis, v. g. febri continuæ, variolis &c. (intermittentes enim magis fere priuilegiatæ) vomitibus, tuſſi, lumbricis, diarrhœis, per congrua remedia.

Quin & emetica a repletione & addephagia oriundæ opponenda. Quod ſi vero lactent adhuc, nutrici quoque proſpiciendum & lacti corrigendo, inprimis iræ & affectibus aliis indulgenti, vel ſcorbuticæ, hyſtericæ &c.

Ne vero natura adſueſcat lunaribus mutationibus ætheris, circa nouilunium, plenilunium, aliasque quadras, ſeu lunatio-

F

nationes aliquandiu continuanda præſidia; quorſum & ſulphur antimonii ſolare & alia ſolaria referenda generoſiora.

Quod vſtionem attinet, non paucis commendatam, iam olim Libyæ populis laudatam, teſte *Herodoto*, ipſisque Italis quibusdam, vt Florentinis, apud nos id tum minus vſitatum eſt, tum communiter vix admittitur.

Vti vero paulo adultioribus cauterium potentiale in certo loco aura conſpirante adhibetur commode, ita & veſicatoria nuchæ tum aliis laudandis caſibus, tum in epilepſia, eximie commendari merentur. Vid. de vtraque cauteriſatione *Binninger obſ. 18. Cent. 3. p. 507. ſeq.* Ne de ſetacco ipſo dicamus, in malo producto & grauiori.

Ceterum externa quoque amuleta innoxia concedi queunt, vt corallia rubra in globulis appenſa, non raro rubore ſuo inſigni immutata viſa, radix pæoniæ, ſmaragdus, ſapphirus, ſuccinum ipſum, ſambucus in ſalice creſcens, & alia. Et hæc tamen, & ipſa plura paſſim laudata pro arcanis quoque, non promiſcue fidem exſoluunt.

Hinc & ſuperſtitioſa varia cauenda ſunt vel negligenda, vulgo vſitata, aliquando & ridicula, & anilia, quæ recenſere non opus eſt. Præſtat vero, quod eo caſu fecimus, ſi vel maxime parentes talibus inſiſtant, vel perſuaſi inhæreant, tantiſper nulla alia propinare medicamenta.

Quæque alia hic dici poſſent, cum adultorum cura conueniunt, ex methodi medendi regulis applicanda. Calidiora vero & fortiora alia, vt oleum ſuccini, tenellis minus propinanda, quale exemplum habet *Sennertus in praxi.*

Obſignabimus hæc rariſſima obſeruatione noſtra, qualem & B. *Ludouici in not. ad Hartm. pr.* videre contigit. Cum enim puel-

puellus ſex menſium circiter epilepſia grauiter laboraret, tandem e naribus materia craſſa a conſtrictione cerebri prægreſſa, huiusdem æmula ſubſtantia excernebatur, cum præſentanea morte. *Obſ.*

CAPVT XIV.

DE

Syncope infantum & narium obſtructione.

RArior eſt affectus in infantibus, ſi cum adultis conferantur, ſyncope & lipothymia, ab epilepſia diſtincta, quando non tam a partu vel enixu inprimis difficiliori ſtatim debiliores ſunt, quam lactentes aliquando, & ipſi prouecti paulo vlterius, eadem corripiuntur.

Et duplicem quidem hanc obſeruauimus (1) improuiſam, citra præuiam aliam cauſam, accidentem. Ita viri primarii filiolus etiam tempore lactationis, ſex, ſeptem menſium, in ſinu materno ipſo ſemel iterumque id patiebatur, ſine ſenſu, ſine motu, nedum conuulſiuo, ſine reſpiratione, clauſis oculis, cum pallore decumbebat, excitandus vellicatis naribus &c.

(2) occaſionalem, quæ altera quaſi ſpecies, quando & lactentes, vt in puella octodecim ſeptimanarum vidimus, & ablactati hinc velut ecclipſin talem patiuntur, v. g. ab ira, a denegato aliquo obiecto deſiderato, a diarrhœa, torminibus, partim præuio clamore; partim citra hunc, bleiben auſſen/ qua de vid. *Binninger Cent. 2. obſ. 70. pag. 209.*

Fit idipſum vtplurimum ab acido-auſtero concentrante & ad grumeſcentiam inuitante maſſam ſanguineam, vnde

lucula vitalis tantiſper ſufflaminatur; neque tamen facile moriuntur, modo rite tractentur, ſeu a lacte materno circa præcordia, ſeu intimius affectis ſpiritibus.

Optimum eſt, & primas vias reſpicere, & facultatem vitalem inde affectam, excitantibus, reſoluentibus & confortantibus.

℞ ſpirit. apoplect. cum ſpir. ſal. ammon. & oleo rut. ʒij eſſent. caſtor. ℈ß. M.

℞ balſam. rut. ſuccin a. ℈ß. balſam. Peruu. gr. ij. camphor. gr. j. M.

℞ ſperm. cet. finiſſ. pulu. abſorb. epilept. Marchion. cinnab. nat. a. ℈ß. M.

Optimum vero & ſecuriſſimum deprehendimus, niſi quid obſtet, emetica leniora v. g. tartari emetici octauam partem grani vel decimam, vel potius ipecacuannæ gr. iij. vel iv. cum cinnabari ana. Idem dictum eſto de clyſteribus, de oleis externis, leni purgante, vel ſuppoſitorio, & tum ad epilepſiam, tum ad affectus, ſeu circumſtantias præſentes directis, cauendo vna nutricem bibulam.

Confert vero non ſolum huic affectui etiam libertas ætheris per nares vtrasque denegata, ſed & ſeorſim ſæpe lactentibus faceſſit negotium obſtructio hæc, vt medio ſugendi actu, niſi ſuffocari quaſi velint, cogantur papillam dimittere.

Cauſam præbent exterius aer frigidior, ipſi inprimis capiti admiſſus, interius aliquando lymphæ localis defectus, muci copia, coagula, & inprimis pororum in oſſe cribriformi occluſio, coryza & catarrhi frequentiores.

Hinc & producitur aliquando hoc ipſum, & non tantum loquelæ effata vitiat, ſed etiam ſucceſſu temporis facile

fœ-

fœtorem ex putrilagine concepta infert, niſi proſpiciatur probe.

Vti itaque lympha fluxilis reddi, incidi, imminui, euacuari & diuerti debet, elater vero narium roborari, & pori debite reſerari; ita internis & externis præſidiis, vna cum mora ſæpe, opus eſt.

Si aluus minus reſpondeat, & humidior ſit corporis habitus, laxare aluum commodum eſt, methodo laudata, in adultioribus etiam ipſis paulo, ex rhabarb. gialapa, mechoac. cum cinnabarinis.

Hinc catarrhis debita ſuccinata & tuſſi conueniunt, tum ipſi nutrici ſimul, tum infanti v. g. ex eſſent. ſuccin. lignor. elix. pectorali, tinctur. bezoard. & aliis.

℞ pulu. pectoral. ℈j. ſuccin. alb. ppt. gr. v.
ſpirit. ſal. ammoniac aniſat. gtt. iv. M.

℞ eſſent. lignor. ſuccin. compoſ. tinct. bez. a. ʒß. M.

℞ ol. bez. gtt. IIX. 🜄🜔ci aniſ. gtt. iv. M.

Exterius apprime fouendum & defendendum eſt caput, bregma & collum, vti & mammæ nutricis, ne refrigerentur. Hinc ſuffitus bis ter de die & nocte in conclaui fieri queunt, ex gumm. iuniper. maſtiche, vel ſolo quoque gummi animæ vero & electo, quocum & integumenta & lecti ſuffiri queunt commode.

Naribus vero interius applicari poteſt oleum amygd. dulc. ſine igne, cum tantillo olei maioran. veri, baſi vero etiam naſi illini balſamum maioran.

℞ balſam. maioran. ſuccin. a. ℈ß.
gumm. elem. in ol. ſuccin. reſoluti gr. iij. vel iv. M.

Addi etiam poſſunt alia, illinendo ad nares, tempora, bregma &c.

 Com-

Commode etiam vel ſolum ſemen nigellæ appendi poteſt collo, vt & globuli e ſuccino, item maiorana, pulegium, flor. lauendul. marum verum in adultioribus &c.

Qui paulo magis per ætatem id admittunt, alia etiam applicari poſſunt, huius generis. Sic v. g. aqua maioranæ, quæ longe optima eſt, etiam ſola, velut ſuctu in narem alteram trahi ſurſum poteſt, altera clauſa, & in os prius aqua ingeſta.

Idem valet de compoſita, ſeu liquore errhino noſtro, ſi eadem v. g. ad ℥ß roboretur cum vitrioli albi & elaterii, in ditioribus etiam moſchi, a. gr. j. inde in nares guttulis aliquot indendis.

Imo & in admiſſionis caſu huc pertinet errhinum cephalicum ſiccum, cum caſtorio, ambra, moſcho &c. apparatum, addito oleo conuenienti, ſaltim lentis minoris quantitate naribus illitum, quod omnibus aliis merito anteferendum, ſumme polychreſtum.

Id ipſum etiam fœtori ab obſtructione illa oriundo debetur; quo nomine etiam ſpiritus ſalis ammoniaci dulcis cum oleo maioranæ vero oleoſus redditus, addito volatili vrinoſo communi, & naribus applicatus, ſæpius a nobis commendatus fuit.

Sin producatur longius mora, non deſiſtendum quidem, ſed vna reliquis fouentibus cauſis, v. g. ſuo tempore obſtructioni menſium, ſcorbuto &c. proſpiciendum.

CAPVT

CAPVT XV.

DE

Hydrocephalo & ſiriaſi.

OCcurrunt in infantibus partim morbi crebriores & quotidiani quaſi, partim etiam rariores paulo. Nec ipſi tamen hi imparatum & inſcium offendere debent medicum, vt & his ſe virum præſtet, quantum poteſt.

In hydrocephalo magnitudo capitis exſuperans viſitur a cauſa continente, lympha inprimis improportionate diſpenſata & ſtagnante, reſpectu corporis reliqui. Et talem triplicis potiſſimum generis in praxi notare par eſt.

Primi modi eſt magnitudo ſimpliciter aucta, in ſe quaſi æqualis magis, reſpectu vero corporis reliqui inæqualis, & ponderoſior, intrinſecus glanduloſa cerebrali ſphæra plus iuſto extuberante, vt vix geſtari poſſit, facie vero minori quoque. Talem vidimus a natiuitate ab impresſione matris ob viſum crebrius tempore geſtationis caput ligneum in puella, quæ vltra duodecim annos viuebat. Et hæc ſpecies eſt paulo impropriè dicta, monſtroſæ magnitudinis, quamuis non ſine aqueo æque vberiori humore.

Medii generis eſt caput itidem turgidius ob exceſſum lymphæ, hydrocephalus proprie dictus magis, ob collectionem copioſioris aquæ, modo intra cranium, in ventriculis cerebri, venis nihilominus in pericranio turgidis decurrentibus; modo extra cranium, inter pericranium contenta aqua, mobili magis & molli tumore.

Tertii generis ſtatui poteſt tumidius caput ex rachitide magis vel minus; ſiquidem vtplurimum hac laborantes reſpe-

ſpectiue in capite etiam offerunt inæqualem lymphæ nutritiæ turgeſcentiam.

Cauſæ loco eſſe queunt, quæcunque συναθροισμὸν ſeu paulatinam collectionem ſeri, eiusque ςάσιν congerere & huc inuitare poſſunt nutrimentum vitioſum, vt frigus admisſum magis, caſus & contuſio, aliaque, inprimis vero ab obſtetrice compresſio improuide facta osſium bregmatis, indeque circulationem ſanguinis & ſeri læſam conſequens inordinatio, quo de plura legi merentur apud *Pechlinum lib. 1. obſ. 64. pag. 148.*

Ceterum ex his hydrocephalus internus centralis, diſtentis ſuturis, fontanella, ipſoque cranio, pro incurabili merito habetur, neque enim apertio quæcunque, etiamſi vel maxime cerebri ſuperficies inundetur ſimul, quicquam prodeſt, ſed funeſta obſeruata fuit ab *Hildano.*

Exterior vero ſi occurrat, magis tentari poſſunt præſidia, v. g. euacuantia, hydragoga & aperientia ac reſoluentia, nitroſa & antimoniata, martialia & diuretica.

℞ tinct. mart. hellebor. ʒj. arcan. tartar. ʒß.
ſpirit. ſal. ammoniac. aniſ. ℈ß. M.

℞ arcan. triplic. ℈j antimon. martial. cachect.
☿ nat. a. ℈ß. ol. calam. aromat. gtt. j. M.

℞ rad. gialap. gr. iv. cinnab. nat. gr. ij.
mercur. dulc. gr. j. ol. fœnicul. gtt. j. M.

Tacemus aurum fulminans & alia, ex capite de rachitide huc repetenda.

Externe locum habent blandæ frictiones, ſeu ſolæ, ſeu cum oleis digerentibus

℞ olei rutac. hyperic. a. ʒiij. petr. alb. ʒß. M.

Faciunt

Faciunt huc etiam fotus, & ſeorſim ipſæ ligaturæ, vt compreſſione leni facta in motum citetur humor ſeroſus extrauaſatus facilius, vti *Riuerius in Obſeru. a Formio communicat. ſexta p. 676.* refert hydrocephalum ſola faſcia Guidonis curatum.

Hartmannus in Praxi chimiatr. cataplaſma e limacibus vel cochleis contuſis commendat, emolliendi vſu, ſed cauenda ſunt frigida. Si nihil obſtet, veſicatorium, vel ipſum quoque ſetaceum, applicari poteſt, modo ſtatus œdematoſus non contraindicet, vel filo ſaltim traiecto, vt tranare queat humor.

Cumque cauterium actuale occipitio inuſtum in epilepſia tantopere commendetur ab Italis, vt pro expertiſſimo habeatur, quo de videatur *Truncon. tract. 4. de morb. pueror. p. 188. & 189.* hoc ipſum quoque pro re nata hoc caſu proponi & commendari poteſt, tutius longe paracenteſi, inprimis cum epilepſia etiam obſeruatum ſit mortuos hydrocephalo laborantes.

Plura hanc in rem legi poſſunt apud chirurgos *Fabrit. Hildan. & Aquapendentem*, & inſtar omnium *Corteſium append. ad Tract. de Vulner. Cap.* vbi plures citat, *Schenkium*, *Foreſtum &c. Ferrarium lib. 3. cap. 11. Celſus* ipſe *lib. 4. cap. 2.* externi meminit, vbi humor cutim inflat, eaque intumeſcit, & prementi digito cedit.

Non minus rarus apud nos affectus eſt *Siriaſis*, quem vulgo das Blat-ſchieſſen vocant. Plures hunc veteres deſcribunt, & præ aliis *Alexander Aphrodiſæus lib. 1. problem.* vt ex recentioribus quoque *Langius epiſt. 54.* illum citans quoque, optime illud exponunt.

Enimuero, illius elogio, tempore æſtiuo ſiriaſin patiuntur infantes (in calidioribus regionibus) vel ſirio ipſo do-

minante. Febricitant, oculos habent cauos, cum vigiliis & debilitate, quidam etiam diarrhœam patiuntur. Ipſa vero fontanella ſimul ſubſidere obſeruatur, adeoque cauitas quædam exterior circa bregma conſurgere.

Pro cauſa ergo laudari meretur, externa quidem, inſolatio fortior, ſeu æſtus ſolaris teneras meninges feriens, & lapſus, contuſio vel læſio quædam violenta cum depreſſione; qua de optime agit *Corteſius l. c.* ex profeſſo ſeorſim.

Addi vero poteſt quoque merito cauſa interna, lac calidius, aliaue intemperiem calidam localem excitantia. Hæc enim tria fere ſunt præcipua, vnde non quidem inflammatio proprie dicta, nec eryſipelas ſtricte ſumtum, attamen φλόγωσις quædam, illius gradus primus, ardor & calor citra tumorem oboriri poteſt.

Adeoque cauendum omni modo, ne feruor & ζέσις lymphæ illo loco conceptus ad gradum ſecundum, vel vlterius, prouehatur cum periculo, verbo, ne inflammatio proprie dicta conſequatur.

Hinc videntur veteres fere ſolam cauſam externam primam reſpexiſſe, vnde *Dioſcoride* teſte *lib. 4. c. 61.* folia ſolani hoc caſu laudantur, cui in eiusdem *euporiſtis c. 9.* alia adhuc ſociantur eiusdem commatis. Hodie eodem fine, vt in eryſipelate, folium raphani ruſticani, vel corticem medianum ſambuci, citra aquoſa vel oleoſa alia, vti etiam quidam fermentum cum aceto inter duo linteamina fronti, applicant.

Langianum vero experimentum ex vngu. populneo cum ſucco vrticæ, eadem recenti contuſa, vel inſpiſſato, non tam ad fontanellam, quam ad tempora & pulſus applicari poteſt, quo loco citato intra biduum curauit, vt & camphora appendi vtiliter.

BOSTON MEDICAL SEP 1963 LIBRARY

Sin ab externo caſu depresſio fuerit facta, fotus ex betonica & aliis cephalicis in ſacculis cum vino coctis applicari debet, & ſic exterius & interius proſpici bezoardicis temperatis & morbo, & ſymptomatibus.

Obſeruatum vero eſt, & contuſiones & vulnera capitis & in adultis, & inprimis in infantibus longe magis, facile aliquid ichoreſcentiæ fermentificæ poſt ſe relinquere, in futurum ſaltim in actum erupturæ, per paralyſin, vel epilepſiam, quod vtrumque obſeruauimus.

Iuuenis vulneratus in capite in academia Iulia, hinc aliquot annis poſt corripiebatur paralyſi, eaque lethali.

Puellus duorum annorum de ſcala lapſus cranii fiſſuram cum depreſſione patiebatur, curatus anno vno alteroque poſt epilepſia occubuit.

℞ pulu. bez. ſpecif. cephal.
arcan. triplic. a. ℈ß. M. f. pulu.
℞ pulu. epil. March. ad caſ. ♁ nat. a. ℈ß. M.
℞ ſpecif. ceph. lap. de Goa a. ℈ß. M.
℞ pulu. bez. oc. ♋ ppt. ♁ nat. a. gr. v. vel vj. M.
℞ R̃æ bez. eſſentif. ʒj.
eſſ. traum. ſerpent. Virgin. a. ℈j.
caſtor. anod. a. ℈ß. M.

Vnde & nutrici & infanti aliquot guttulæ propinari poſſunt. Reliqua ex capite de eryſipelate & aliunde, vt de vulneribus capitis, huc repetenda.

Ceterum depreſſio profundior cum fractura quidem pro re nata vecte, alia vero beneficio ſuctus per cucurbitulam vel emplaſtro tenaciori cum reuulſione, omnia tamen prouide, reſtituenda, terebra vero eleuatoria non facile applicanda.

Alias vero caſus ab alto in infantibus, in caput, bregma, vel eius latera, facto præcipitio, ſæpe quidem, diuina prouidentia, fuere indemnes, nunquam tamen negligendi, vti ex cunis ipſis ſæpius, ex feneſtra, etiam ad ſeptendecim pedum altitudinem in plateam, de ſcala item, mirandos vidimus; nonnunquam vero ſtatim extremi labores, epilepſia, vomitus, lethargus, reſpiratio difficilis, & mors conſequuntur, vt in filiola ſex menſium, & puella decem annorum accidit.

CAPVT XVI.

DE
Ophthalmia & viſus læſione.

NObiliſſimum non ſolum inter ſenſuum organa, ſed & externa omnia, oculus, vt toto vitæ tempore, ita etiam ſtatim a teneris vnguiculis cordi habendum, ne quid detrimenti capiat, quod vel ſolo neglectu ſæpe cœcitatis damnum incurrere aſſolet irreparabile.

Quod ſi hæc ex praxi obſeruata, vt optimum eſt, perputemus, occurrit (1) rubor oculorum vnius vel vtriusque, etiam mature aliquando, a natiuitate primis ſtatim diebus, ab illo in partu niſu, quod fere leuius eſt, ac tranſitorium magis.

Hinc vero idem notauimus v. g. in annuis, imo minoribus, & ſequentibus temporibus, bimulis, vel paulo prouectioribus, intra annos nutritionis quoque, & quidem duplici modo. Enimuero ſic v. g. (2) vidimus & curauimus ophthalmiam externam in quadrimeſtri filiolo, cui oculus ſiniſter tegebatur, tumente & rubente palpebra vtraque, tumore illo maiori

iori & duriori reddito, & in abſceſſum hinc mutato, oculo ſubdito ſaluo. Vertente anno rubor rediens ſimilis exterior mature medicamentis diſcutiebatur, quod primitus fieri renuebat.

Idem (3) in ophthalmia proprie dicta interius, ſeu in oculi bulbo ipſo eiusque tunica adnata non ſemel vidimus experti; v. g. in filiola trium annorum dextro oculo, rubore intenſo, & clauſo, cum ichore ipſo emanante, quod ipſum & in filiola duorum annorum, & aliis occurrit, cum notis aliis communibus, rubore, dolore, & viſus debilitate, imo oculi laborantis quaſi imminutione apparente.

Enimuero & (4) hoc velut conſequens huc pertinet, viſus nempe læſio & debilitas inſignis, nonnunquam & cum ipſo cœcitatis periculo, niſi obuiam eatur, imo hac ipſa quoque ob neglectum laudatum accidente.

Vti vero rheumatiſmo debetur hæc inflammatio, etiam in tenellis vndecunque affluxu & acrimonia inuitata, vel ab aere frigido v. g. calidoue intenſius ipſo, lucis excellentis occurſu, vel nutricis adhuc feruidiori lacte, ipſisque variolis obſtetricantibus &c. ita diſcutiendo, alterando, reuellendo, ſedulo contra eundem.

Non ſolo enim neglectu, ſed & acriorum applicatione ſæpe cœcitas conſequitur, nedum, quando ophthalmia humida acris, ferina, feruida ſalſedine corroſionem & extuberantiam quoque periculoſam minitatur.

℞ Ræ bez. eſſ. lign. ſerpent. Virg. a. ʒß. anod. gtt. v. M. pro nutrice & infante.

℞ pulu. bez. lap. de Goa, ♁ nat. a. ℈ß. M.

℞ lap. ♋ ppt. pulu. epil. March.
ſpecif. ceph. a. ℈ß. mag. anod. gr. iij. M.

Si nihil obſtet, laxare etiam aluum leniter conſultum eſt; ſin aluus laxior vna, theriacalia blandiora iungi reliquis queunt, quod idem & de nutrice valet, quæ a vino abſtinere quoque debet; producto magis malo, etiam rachitidis vel putrilaginis & acrimoniæ ſcorbuticæ ratio habenda.

Nil enim magis communicatur cum lacte, quam morbi ſeroſi, tuſſis, ſcabies, lues venerea.

Exterius collyria pro diſtinctione circumſtantiarum varianda. Sicca oculis rubidis non inflanda, antimoniata, venerea, defenſiua ſunt optima.

℞ aqu. chelid. mai. ℥ß. perlar. præparat. pomphol. alb. magiſt. ſacchar. ſaturn. a. gr. iv. v. M.

℞ aqu. euphraſiæ, chelid. mai. a. ℨij.
croc. metallor. edulcat. ℈ß. M.

Præſente vero hac inflammatione, (leuiori enim tranſitorio caſu id non opus eſt,) optimum ſemper deprehendimus vſum veſicatoriorum in nucha, vel pone aures, applicatorum, non obſtante tenella ætate viſa, vix aliquot menſium.

Imo producto malo, & metu cæcitatis maiori in infantibus duorum, quatuor, nouem annorum non dubitauimus, tum ſetaceum accommodum ſuadere, ad coercendum affluxum, tum fonticulum ipſum.

Mora enim ſæpe opus eſt, & continuatione; quod inter alios vidimus in geminis fratribus, contage producto malo, conſtantia diætæ & medicamentorum, prudentiaque parentum euicto malo, non neglectis etiam roborantibus, ὀξυδερκικοῖς & cephalicis.

℞ rad. valerian. ſerpent. Virgin.
herb. mari ver. nepet. herniar.
ʒ nat. ſapph. occid. ppt. a. ℈j. M. F. pulu.

In ex-

In externa vero ophthalmia ſeorſim primo temperantibus & defenſiuis opus eſt, clauſo inprimis oculo tumidiori, & inflato magis per dicta (quod & internæ in infantibus accidit.)

℞ ſem. lycopod. ℥ij. pompholyg. alb. ver. ʒj.
myrrh. elect. ℈ß. camphor. gr. iij. M.

Maiori tumori, cum diſcuti renueret, & ad abſceſſum tenderet, impoſitæ ſpecies emollientes ex farina lini, ſine & cum lacte, hinc apertionem procurarunt, ſaluo & ſubſidente hinc iterum oculo.

In alio ſimili caſu puluillo laxatiuo ex rhabarbaro, & alterante nitroſo, curatio perfecta fuit, etiamſi recidiua repeteret.

Exterius ad viſum roborandum optima eſt omnino pinguedo viperina, quæ & in ſuffuſione ſeroſa, & in vngue oculi ipſo, imo in exorta puſtula puris plena (ab ictu roſtri pasſerini) & in vulnere ipſo, non penetrante intimius, experimenta certiſſima vidimus, quo nomine a *Dioſcoride* iam commendata, fruſtra *Pergameno* contradicente.

Prodeſt vero recens, alba, delicata, ſolum palpebris illita, vel pro re nata etiam guttula inſtillata. Eodem polychreſto vſu eadem, & alia laudata in albugine, nebulis &c. modo mechanica oculi deſtructa non abnuat, applicari meretur.

Minus vero paria facit, niſi admodum recens, & ſolum vbi abſumendum eſt coagulum obnubilans, pinguedo aſciæ piſcis, vbi tum ſola, tum cum liquore gobiorum fluuiatilium & aliis commixta, prodeſt. Defenſiui loco etiam in fiſſuris vel vulneribus oculorum ipſis humorem vitreum oculi bubuli conquaſſatum, inſtar albuminis oui, officium feciſſe egregie, obſeruauimus.

Adhæc opus eſt diætæ regimine debito, tum nutricis ipſius

ipſius, tum patientis infantis. Deligandus hinc oculus inprimis extuberans, cauenda obiecta luminoſa, niuium &c. ventoſa, puluerulenta, vaporoſa, fumi, ceparum, acrium, ſalſorum & ſimilium.

CAPVT XVII.

DE

Lactuminibus, fauis, achoribus, phthiriaſi & tinea.

NOn minimæ curæ eſt in infantibus, etiamnum lactentibus, defœdatio non vna, cumprimis faciei, capitis, hinc & corporis reliqui, non tam ſcabiem ipſam reſpiciendo, quo de ſeorſim, quam huic quidem analoga & congenera quaſi alia.

Ita lactentium velut proprium eſt cruſta lactea, vel lactumina inde dicta. Vt hæc rite concipi queant, ad mechanicam quaſi ſcabiei commode diuidi poteſt (1) in vniuerſalem & particularem: (2) in ſiccam, humidam & ipſam mediam; (3) interdum in minorem & maiorem conſequenter.

Ad vniuerſalia referri meretur purpura infantum, a Germanis dicta der Frieſel/ ſeu aſperitudines paruæ, rubræ, ſiccæ magis, etiam primis hebdomadibus a natiuitate viſendæ, hinc inde in corpore & facie ipſa erumpentes, vti & communi titulo den Anſprung alias vocant, minus continuæ.

Ad particularia ſeorſim pertinent (1) in facie, fronte, labiis inprimis, genis, vel geminis, vel alterutra, vlcera minora, ſed continua magis, primum humida, hinc ſicca & cruſtoſa & obdu-

obducentia cutem & defœdantia, cum pruritu & eminentia; a ſcalptu vero dolorifica & facile recidiuantia ſeu repullulantia. Vtque priora primis menſibus & frequentius; ita hæc ſequentibus magis occurrunt. Et hæc κατ' ἐξοχὴν cruſtæ lacteæ nomen habent. Producuntur per plures hebdomades, etiam in annuis infantibus, rarius vero vltra lactationis tempus, & tunc quoque ad ſcabiem magis referuntur.

(2) Hinc & ſeparatim in capite (itidem humida vel ſicca forma) achores, furfures, faui fluidi, & in cruſtis confirmatis tinea dicta, magis radicata & rebellis, conſurgunt, cum & ſine pediculis, vnde & ſub vno capite comprehendi queunt, quæ ſingula oculis obuia, cruſta quidem lactea exterius ſicca, ſubtus vero & ſcalptu humida, aliis vix egent ſignis.

Singula communem fere agnoſcunt cauſam, a nutrice fere communicatam, lac & ſerum hinc impurius, ſeu vitio diætæ, ſeu e corpore cacochymico, ſalſius, acriuſculum, ſcorbuto vel rachitide latitante, vnde in glandulis ſubcutaneis ſtagnat, ichoreſcitque alimentum, & cuticulæ eroſionem parit, ab aere hinc, vel viſcida pituita coagulum ſubiens.

Conferunt etiam huc ſordes illotæ, vel neglectæ, ſcalptus, laxitas pororum, ſudor, & hinc effloreſcentia, ſtagnatio & ſubſiſtentia, quæ modo volatili & ſubtili fœtura gaudet, vt in priori ſpecie, modo fixiori, vt in altera, vnde variant circumſtantiæ coniunctæ. Coniunguntur nonnunquam glandulæ induratæ, vt in nutricibus humidioribus, ita & infantibus ipſis.

Laudari etiam poteſt contagium, ſaltim ſcalptu diffuſum, confluente hinc æqualiter ichore laudato. Sin ſeminium accedat verminoſum, etiam animata fit lymphæ putrilago, & pediculorum prouentus in capitis ſilua viſitur.

Quamobrem opus eſt, præcipue in lactuminibus, fontem reſpicere, lactis qualitatem huc facientem, eiusque correctionem, etiamſi externo intuitu & examine non æque vitium præ ſe ferat; hinc & in infante productam ſalſedinem lymphæ & glandularum, ad has partes ruentem, diuertere, corrigere, & ne recurrat, probe præcauere.

Præſtant id partim communia, partim pro ratione ætatis etiam alterutri propria, antiſcorbutica, renouatiua, purgantia, alterantia, maxime antimoniata, exſiccantia, & viperina ipſa, tenellis, quantum licet, adultioribus alia, vtrisque temperatoria.

℞ eſſent. cuſcut. compoſ. lignor. viperin. antimon. tinctur. bez. a ℈j ʒß. M.

℞ eſſent. ♁ii tartariſ. ʒj. olei lign. ſaſſafr. gtt. v. M.

cui ſeorſim addi vel omitti poteſt anima rhabarb.

℞ pulu. bez. min. ℈j. viper. Ital. ☿ nat. a gr. v. M.

℞ rhab. el. mechoac. alb. ir. Flor. ☿ nat. a. gr. ij. iij. M.

Externis vero ſolis confidere cum vulgo non commodum eſt, neque tamen malum ſibi relinquere. Deſpumare enim ſolet & in faciem ichor vnctuoſus impurus, & duplici illa forma attendendus, prout magis vel ad vliginem humidam tendit, vel ad cruſtam groſſiorem, denſiorem, & ſiccam.

Priori caſu ſiccantia, actu & potentia talia, apprime conueniunt, (non ſine internis tamen præcipuis.) v. g.

℞ pomphol. ver. ſem. lycop. lap. calam. a. ʒj. camph. gr. ij. myrrh. el. gr. iv. M. F. pulu. ſubtil.

℞. aqu.

℞ aqu. calc. viu. ℥ß mercur. dulc. pulu. ſubtil. gr. vj M.
℞ aquæ mercurial. ℥ß illinatur cum pluma.

Poſteriori ſatisfaciunt emollientia, lac ipſum nutricis, vel caprinum calidum, butyrum inſulſum ipſum, eiusque cremor, oleum amygdal. amaror. ſine igne expreſſum, & exinde cum pinguedine viperarum, & oleo bezoardico paratum vnguentum renouatiuum.

Medii generis ſunt vnguenta contemperantia & ſanantia, vt de ceruſſa, album camphorat. rubrum deſiccat. per ſe & inter ſe mixta. Quibus in grauiori malo etiam magiſterium mercur. coſmetic. vel etiam aliquot grana mercur. præcipitati edulcati iungi poſſunt.

Quod vero tineam ipſam attinet, quæ nihil aliud eſt, quam cruſtoſum & ſiccum præcipue vlcus, ſenſim ex humido in glandulis capitis, quibus maxime abundat, coortum circa partem capillatam, ſeorſim attendendum venit, ex eadem cauſa fere oriundum.

Hinc notandum 1. in infantibus tenerioribus adhuc tinea reſpectiue mitis & minus maligna eſſe aſſolet.

2. Omnis vero magis internis cacochymiæ vliginoſæ & putrilagini lymphæ particulari & locali debitis, quam topicis curanda. Vtplurimum enim ceteroqui ſunt ſaniſſimi, malum quippe magis eſt vt ſignum, quam vt cauſa, ſiquidem defecatione hac maſſa ſanguinea, niſi quod loco incongruo extat, liberatur a ſordibus, alias grauiora daturis.

3. Præmiſſis tamen vniuerſalibus, & ſaponariis internis, curari etiam externis, prouide adhibitis, poteſt; curata vero, cum facile repullulet, temporibus ſolennibus curam expoſcit ſollicitam præſeruatoriam.

Sin intempeſtiue topica adhibeantur, citra hanc caute-

lam, male id ceſſiſſe viſum fuit non ſemel. In puero generoſo, & alio, breui poſt febris cum funeſto euentu; in alio epilepſia diutina, & tantum non incurabilis, in aliis alia ſecuta, etiam ab empiricis magno pretio facta cura; mors ipſa immaturior.

Vitanda hinc maxime in capite mercurialia, & arſenicalia, quæ & ipſa inſignem noxam inferre queunt. Ceteroqui omnino conueniunt, ſelectu prouido facto, etiam topica.

Ita & capilli abſcindendi, vt depili loco, & ſilua cæſa medicamenta magis applicari poſſint; & munditiei, ipſisque lendibus & pediculis abigendis & enecandis vnice ſtudendum. Hinc abſterſiua & roborantia, putrilagini vna debita, locum habent, patientia & mora conceſſa, vid. *Ferrar. p. 121.*

℞ mixtur. antiſcorb. eſſent. lignor. ℞æ bez. a. ʒj.
ol. rad. cinnam. gtt. ij. M.

℞ tinct. mart. helleb. ʒij. ſpir. tartar. rectif. ʒj.
ol. lign. ſaſſafr. gtt. iij. M.

℞ mercur. diaph. ♁ii diaph. a ℈iiß M. pro X. doſ.

℞ ♁ii mart. cach. ℈ij. C. C. vſt. ppt.
oc. ♋ ppt. ♁ nat. ppt. a. ℈j. M.

℞ pingu. viper. porcin. rec. ol. laurin. a. ℥ß.
camphoræ gr. vj. M.

℞ olei ouorum rec. bombac. a. ʒij. M.

Præter purgantia, pilulas, mercuriales, vbi id licet, fonticulum, ſaliuationem ipſam, ſaltim incompletam.

Quæ alia commendantur, fere in adultis magis habent locum, vel cum iis communia ſunt. Tale eſt linimentum de lapide amiantho apud *Sröderum lib. 2. cap. de liniment. ex*

Boot. lib. de gemmis cap. 204. pag. 190, ſed itidem præmiſſis præmittendis.

Nouimus pice liquida loto capite curatam tineam & pediculos. Quod ſi lotiones videantur neceſſariæ, ex rad. oxylapathi, helen. pæon. a. ℥ß. herb. abroton. ſcordii, roriſmar. muſci terreſtr. clauat. ſummit. abſinth. hyperic. a. m. ß. (ſtoech. Ar. citrin. a. p. ij.) baccar. laur. ſem. ſtaph. agriæ, lupin. a. ℥ij. & aliis confieri poſſunt vtiliter. Ne de aliis vnguentis ad pediculos aliunde huc repetendis dicamus; cum dicta & mitiora etiam ſufficere poſſint, nunquam omittendis internis.

Duo vero hic notanda præcipue, (1) vt caueantur dulcia, ſaccharata, mellita, quæ prouentui huic & excrementitiæ putrilagini velificantur, quo de *Heerius* & *Simon Pauli* viſendi. (2) Non præcipitanda ſuperflua & intuta curatio quæuis, præcipue, cum vltra annos nutritionis, ſucceſſu ætatis, etiam facilius ſoleant hæc ceſſare & curari.

Hodie etiam loco lotionum humidarum, ſiccæ cum ſucceſſerint, merito & his vtendum, ad deſiccandum & roborandum, vt pulueribus cypriis, modo non cruſtæ inde denſentur. Hinc & ſemen lycopodii tum per ſe vtiliſſimum, tum loco florum ſulphuris & hic ſubſtituendum commode.

CAPVT XVIII.

DE

Cardiaca infantum, pleureſi flatulenta, ventris & hypochondriorum inflatione.

NOn infrequens eſt in infantibus & hic affectus præcordialis, non niſi improprie pleureſis dictus, ob difficilio-

liorem & ſublimem aliquando reſpirationem, & dolorem, ſaltim grauatiuum ac tenſiuum, caloremque ipſum coniunctum, nonnunquam & vomitum & inquietudinem; aluo minus fere libera vel aperta.

Præcipuum vero indicium eſſe ſolet inflatio, ſeu tumor circa ſcrobiculum cordis, & hypochondria eleuata, cum aliquali tenſione, ſeu mollitie minori, vt nec fouea cordis, quam vocant, contingi liberius, nec ſub coſtis ſpuriis digiti pertingere penitius queant, wenn man den Kindern nicht kan unter die Ribben kommen / vnde a tendendo dicitur Germ. das Hertz-Geſpann. Quidam etiam vocant den Rieb-Kuchen.

Exſurgunt vero ſingula hæc in lactentibus quidem, etiam vitio lactis crudioris, & in genere a minera elaſtica, acida, pituitoſa, viſcida, flatulenta, & conferentibus huc addephagia, potu nimio, nocturno & matutino, diæta promiſcua, frigore externo admiſſo, maſticatione nondum perfecta & ſufficienti &c.

Hæc ſi adſint, & deprehendantur a medico, adſtipulari poteſt mulierculis, quæ alias etiam promiſcue fere accuſant hunc morbum, vt & affinem his ipſis, a diſtenſione improuida oriundum, das Wehethun.

Conferunt non parum cruditates ventriculi, cereuiſia acidula, vel recentior, lacticinia, & errores diætæ alii, & præcipue obſtructiones glandularum inteſtinalium; vnde ventriculus ipſe, muſculi, abdomen, hypochondria, peritonæum &c. diſtenduntur.

Corrigenda hinc, alteranda & reſoluenda eſt rarefactio vitioſa, tenſiua, & ſæpe hinc ſpaſmodica reddita, debitis aperientibus, carminatiuis, abſorbentibus, & neruinis ipſis.

℞ pulu.

℞ pulu. bez. ocul. ♋, conch. ppt. ♂ diaph. ♁ nat. a. gr. v. theriac. Andr. gr. ij. ol. calam. arom. gtt. j. M. F. pulu.

℞ pulu. epil. March. e chelis ♋ comp. ♁ nat. a. ℈ß. ſperm. cet. albiſſ. gr. V.
ol. aniſ. gtt. j. magiſt. anod. gr. iij. M.

℞ elix. propriet. rubr. ℈j. eſſent. carminat. ℈ß
eſſ. caſtor. ſpir. ⊖✱ci aniſ. a. gtt. vj.
℞æ anod. gtt. iv. M.

Exterius linimenta egregie proſunt emollientia, paregorica, roborantia & reſoluentia.

℞ ol. petr. alb. ʒß chamom. deſtill. angelic.
calam. aromat. cerefol. a. gtt. iij. caſtorin. ʒj. M.

℞ ol. amygd. amar. ʒiß. ſuccin. chamom.
calam. arom. zedoar. a gtt. iv.
ſperm. cet. ʒß. camphor. gr. iij. caſtor. gr. ij. M.

℞ vnguent. rubr. potab. cardiac. Francof. a. ℥ß.
ol. paregor. ℈j. zibeth. gr. ij. M.

℞ theriac. Androm. ʒj. ol. nuc. moſch. expr. ʒß.
olei calam. arom. chamom. deſtill. a. gtt. iij. M.

Inter euporiſta egregium experimentum eſt, ſi prius illito abdomini & hypochondriis, vel linimento hoc illo ſimplici, vel compoſito laudato, vel pinguedine etiam ſola humana, prius calefacta, vola vtriusque manus abdomen contingatur, & pollice lateraliter fiat compreſſio repetita blanda verſus inferiora, flatibus ſic ſecedentibus per aluum, cum leuamine.

Conueniunt huic ſcopo & clyſteres, aluo maxime vna occluſa, cum abdomine turgidulo ac inteſtinis.

℞ rad. angelic. alth. pæon. a. ʒj.

herb.

herb. cerefol. mß. cardiac. botr.
flor. melilot. chamom. a. p. ij. vel iij.
ſem. aniſ. ʒß. caric. no. iij. C. in. ſ. q. ▽ ſ.
℞ colat. ℥iij. vel iv. ol. rutac. ʒij. ſacch. Thom. ℈j.
vitell. ouor. parum M. F. l. a. Clyſter.

Atque hoc pacto facile curari poteſt, vel ſaltim minus periculi habet, morbus ſibi relictus, niſi ſcilicet vel catarrhus ſuffocatiuus vel epilepſia, accidat, in qua ipſa quoque ob bilioſam elaſticitatem & tenſionem venter obſeruatur paulo inflatus non raro. Hinc vt in omnibus infantum morbis, ita & in hoc reſpiciendum ſimul ad motus conuulſiuos, & febrim.

℞ C. C. phil. ppt. ℈j. ♁ diaph. ☿ nat. a. gr. v.
ſpir. ⊖✱ci aniſ. gtt. iij. magiſt. anod. gr. ij. M.

Vulgus adhibet etiam in tumore hoc abdominis modo cremorem lactis cum cerefolio contuſo, modo vnguentum, quod vocant, campanarum, vel molarum, das Pfannen-Schmaltz/ quod vt martiale ſimul, ita non incommodum eſt. Quandoque etiam ſolent vitrum paulo latius inuerſum, exhauſto per ignem aere, inſtar cucurbitulæ adhibere (vti alias etiam in hyſtericis idem ſuadent) ſed cautela opus eſt, ne longius relinquatur ita adhærens, nec vmbilicum prominentem reddat.

Sin a largiori potu, præſertim a febri, vel lumbricis, vel obſtructionibus glandularum chyliferarum inteſtinalium, ipſiusque meſenterii, tumeat magis aqualiculus, e ſuis loculis huc referenda remedia, inprimis nitroſa, tartarea, martialia ipſa, v. g.

℞ tinct. mart. cyd. ʒj. arcan. tart. ſpir. tartar. a. ℈ß.
ſpir. ſal. ammon. aniſ. gtt. v. M.

℞ arcan. duplic. Mynſ. vel triplic. ℈ß.
bez. martial. gr. v. ſal. volat. ſuccin. gr. ij. M.
℞ rad. ireos Florent. fecul. ari, pæon. bryon.
antim. diaph. a. gr. iv.
elæoſacch. aniſ. gr. iij. croc. gr. j. M. F. pulu.

Vidimus etiam aliquando tum vna cum abdominis intumeſcentia, tum ſeorſim quoque in infantibus (1) penem inflatum in maſculis, modo antice circa glandem, inſtar veſiculæ cryſtallinæ dictæ, ſeu pellucidæ; modo in medio, cum aliquo rubore & dolore, (2) tumorem teſticuli alterutrius, qui, vt non confundendus eſt cum hernia, ita probari poteſt inter alia, ſi in tenebris ad candelæ lumen luſtretur, apparente aliqua pellucidate a lympha eccentrica. Vid. *Plater. obſ. p. 683. & 332.* Hoc vt a flatulenta elaſticitate fit, ita curari quidem ſimili modo poteſt, plerumque vero ſucceſſu temporis etiam ſponte cedit.

Exterius vero vel ſola puluilli e ſem. lycopod. cum pomphol. inſperſio & applicatio ſufficit ſæpe. Sunt qui ad duritiem illam hypochondriorum etiam curam magneticam laudant, vti *Crato in Euporiſtis* ſplenem bouis calidum, ſemel iterumque, per tres horas imponere iubet, hinc in fumarium ſuſpendendo, vid. ibid. *p. 706.* vt alia taceamus.

CAPVT XIX.
DE
Prominentia vmbilici & hernia.

DVplicem curam fere etiam in infantibus ſibi expoſcit vmbilicus (1) in recens natis, ne putrilaginem ſequatur inflammatio, & ichoreſcentia, defendendus, quo de iam ſuperius diximus, per ſiccan-

tia & temperantia, (2) in ſequente tempore, ne promineat diſtentus citra inflammationem, & ſic negotium faceſſat non minus.

Enimuero, cum vix coaluerit, neque callum firmiorem adhuc ſeu cicatricem indiuulſam contraxerit, facile fibræ coalitæ cutaceæ ſecedere poſſunt poſtmodum, & ſic fieri hernia maiori vel minori foras conſurgente eminentia. Et ita quidem, vt tenui membrana peritonæi diſtenta quoque tranſpareant inteſtina velut obuia & conſpicua cum motu ſuo periſtaltico, partim a flatibus, vnde maius occupant ſpatium, diſtenduntque, partim a niſu & conatibus fortioribus, a torminibus, clamoribus longius continuatis, tuſſi grauiori, vel quaſi ſpasmodica, &c.

Facit huc & adſtricta aluus, nonnunquam & contuſio vel compreſſio inæqualis, ne de ſaltu & caſu in ſequentibus annis dicamus. Idem valet & in ſcroto, alterutro latere in maſculis, quæ duo loca frequentiora ſunt; rarius in infantibus inguina.

Addi meretur & negligentia, tum in deligatione ordinaria, tum ſi qua diſtenſio peritonæi iam appareat, vnde morbus augetur, & chronicus redditur.

Facile enim dignoſcitur hernia ſitu & continuitate mutata, vnde conſurgit quidem tumor, ſed ſecundarius, accidentarius, improprie dictus, non confundendus cum primario, ſeu hernia etiam hoc loco improprie dicta alia, maxime hydrocele & phyſocele. Hi enim tumores potius ſunt veri, & retrocedere minus apti, quod tum ſponte in decubitu, tum facili directione ſeu intruſione in hernia ſuccedit, vt ſenſualem explorationem vlteriorem taceamus.

Vti ergo hæc eccentricitas, laxitas & diſtenſio ſtricturam con-

continentium, & anguſtiam coercitam contentorum indicat præcipue; ita quæ illa fouent & producunt, ſtudioſe remouenda, e ſuis fontibus & loculis petitis remediis.

Intro adigenda ſcilicet eſt moles illa, quæ exituram tectam affectat, quod, vt facilitetur & tuto fiat, (1) ſi opus ſit, præmittitur commode, ſiquidem adſit tenſio, emollitio, per fotus cum lacte, cum oleis, inprimis, & ipſis traumaticis ſimul, (2) impreſſio manualis cum digitis, ſed citra violentiam vllam, & quidem non tam in linea recta, quam corrugatione & contorſione blanda, in vmbilico maxime. (3) Conſeruandus vero ille ſtatus repoſiti, per comprimentia & detinentia, ſplenia, faſcias, circulum coriaceum adaptatum craſſiorem, globulum vel laminam plumbeam &c. (4) cum vel ſine emplaſtris roborantibus ac firmantibus accomodis.

℞ ol. ouor. rec. hyperic. a. ℥ß. M.

℞ vnguent. ad hern. Mynſ. ℥ß. ol. ſymph. ʒij. M.

℞ emplaſt. diapomphol. ℥ß. de lap. calam. ʒij.
ol. ſymph. q. ſ. M. quod præſertim in exomphalo locum habet, ob defendendi, refrigerandi & ſiccandi virtutem, ſiquidem ichoreſcens humiditas id indicet quoque.

℞ empl. contra ruptur. ℥ß. vel j.
malaxetur cum oleo momordic. q. ſ.

Pertinent huc & alia mucilaginoſa, ſimul glutinantia & læuigantia v. g. applicatæ ſedulo cochleæ, mucilago pellis anguillæ, herba piloſellæ recens contuſa applicata, & ſimilia, vid. *Ettmüllerus*. Idem tenendum eſt de emplaſtro ad exomphalon *Ferrarii p. 255*, inprimis ſi loco aluminis ſubſtituatur vſnea cranii humani, vel muſcus acaciæ.

Vti vero in genere fere perabſurdum, ſaltim fruſtraneum, eſt, & contra naturam, in hernioſis inſtituere caſtrationem,

ſeu curationem per ſectionem & ablationem teſticuli, quicquid etiam orchotomi vulgo perſuadeant, vt lucrentur, ſine teſtibus; ita idem longe minus in infantibus vnquam conceſſimus.

Certum enim eſt, citra illam crudelitatem, quam & funeſtam vidimus temerario auſu, in his curari poſſe integre & perfecte herniam ſcroti (nam de hac quoad hoc potiſſimum & ſolum ſermo eſt) in infantibus ad annos ipſos pubertatis vsque, adæquate etiam aliquando adultis & ſenioribus, modo mora & patientia concedatur, id quod non vnis experimentis certo obtinuimus. Vid. *Euporiſt. Craton. p. 718 ſeq.*

Inſtar omnium huc faciunt ligaturæ, faſciæ, & ſubligacula, ſine quibus vix poteſt ſperari conſtrictio, cohæſio & conſolidatio condecens. Et quidem ligaturæ ſunt quaſi loco generis, pro ſtatu corporis, ætatis, & circumſtantiarum apparandæ artificioſe.

Talis ligatura ſimplex ſufficit fere in exomphalo, in reliquis facta repoſitione debita, reliquæ duæ velut ſpeciales his ipſis inſeruiunt. Faſcia ſola ſcilicet ſufficit vtplurimum longa ſatis, & trium vel quatuor digitorum lata, ex lumbis incipiendo, & ad interſtitia femorum dirigenda ad locum inprimis affectum, vbi decuſſatim facta circumuolutio velut nodum ſeu ſpleniolum exprimit; compreſſione & firmitudine ſic facta, citra vllam moleſtiam.

Subligacula vero vel ſuſpenſiua, vel circumtendentia, vno vel vtroque etiam latere adhibentur, ex panno xylino præcipue, cum vel ſine ferreo circulo interius tecto, cum ſplenio ſubrotundo antice, ſeu lateraliter, vel circulari quoque (vt traduci pudenda queant) ſuperaddito, vel cum ſacculo quoque quodam, ad ſuſtinendam molem: quod omne mechanica curatior ſuggerit, & euphoria.

Et

Et quidem fortior & prior ligatura & decubitus continuatus integræ reſtitutioni velificatur; poſterior cura quidem palliatiua eſt, ſed tutiſſima tamen & in ſtatu quo ſeruans herniam, ad mortem vsque.

In tenerioribus & pauperioribus interius huc faciunt ſem. aniſi, perfoliatæ, &c. in adultioribus maioris apparatus, quæ maxime flatus diſcutere queunt, carminatiua & traumatica.

℞ herb. herniar. ℥ij.
ſem. caru. perfoliat. ſoph. chirurg. a. ℥j.
antimon. diaph. ocul. cancr. chaquerill. a. ℥ß.
ol. fœnic. gtt. iij. M. F. pulu.

℞ eſſent. ſerpent. Virgin. mumiæ, carmin. a. ℥j.
ſpirit. nitr. dulc. gtt. iv. M.

℞ pulu. aper. cinnabarin. ℨj. ſerpent. Virg. ℈j.
ol. calam. aromat. gtt. ij. M.

Dantur & quædam curationes herniarum magneticæ, ſeu mumiales cum quercu, ſymphyto, perfoliata, ceraſo, & aliis, de quibus videri poteſt *Tenzelius in medic. diaſtatica p. 87. ſeq. & p. 145.* compreſſione item cum clauo, &c. Sed duo cumprimis circa hæc cauenda. (1) ſuperſtitio, (2) periculum, ne in alterutro peccemus, (3) adde frigus & alia, quæ iliacam paſſionem accerſere queunt.

Aliquando etiam exomphalon mirabilem vidimus, in medio quaſi aperto vmbilico, nudatam excreſcentiam, colore rubro, & ichore ſanguineo moleſtam, quam relinquendam tutius cenſuimus, neque enim ſectio & ibi locum habet. Præſtant hoc loco laudati pulueres ἄπνιοι ſiccantes, ex pompholi. ſem. lycopod. lap. calaminar. &c.

CAPVT XX.
DE
Ranula ſub lingua, & angina, ſeu pædanchone

ACcidere etiam infantibus ſub lingua ſolet tumor magis vel minus inæqualis, indolens fere, moleſtus, vt & ſuctum impediat, & in adultioribus paulo etiam loquelam, ipſamque deglutitionem, Germ. die Kröte / der Schwamm / der Froſch/ Modo minor, modo maior eſt, interdum etiam quaſi alatus. Gigni ſolet vel occaſione externa, vt ſectione freni linguæ improuida, profundiori, vel citra illam vitio lactis, & affluxus. Regio enim ſublingualis & glandulis turget quampluribus, & vaſis lymphaticis, ac ſanguiferis, mollis & ſpongioſa. Hinc ςάσει inducta, partim glandulæ, partim fibræ dilatantur, vnde poris inſidens tumor magis mobilis, fibris immorigeris magis conſurgit

Poteſt vero & hic tumor in calidum & frigidum, ſanguineum & lymphaticum diuidi. Interdum enim ſanguini feruido debetur, & inflammationem parit anginoſam, ſeu minimum ad ſuppurationem deuenire poteſt: communius vero concretio eſt frigida, vel inſtar albuminis oui quoque obſeruata; aliquando & in adultis, iisque ſcorbuticis, ſimilis intumeſcentia viſa.

Interius hoc fine conſulto dantur, quæ vel euacuant per aluum leniter, vel diuertunt & reſoluunt quoque, vt puluis pectoralis antimoniatus, eſſent. ſuccin. catarrhalis, lignorum, pro re nata etiam tinct. mart. cum aqua ſummit. abiet. & arcan. tartar. ſpir. ſal. ammoniac. aniſat. &c.

Exterius

Exterius euporiſton eſt butyrum caprinum camphoratum (cum parte ſuboctupla camphor.) etiam ſub mento ſedulo illitum, frictus cum gallis, oſſe ſepiæ, ſale communi vel gemmæ, ammoniaco eiusque floribus, ſpir. vin. camphorato, eſſent. ſabin. camphorata, ligu. ſancti, odontalgica &c. ſed inter ſe ratione intemperiei calidæ vel frigidæ probe diſtinguenda, non minus ac ratione ætatis ipſius.

℞ oſſ. ſep. nuciſt. myrrh. elect. alumin, ſacharin, a. ℈j.
M. f. pulu.

Si enim, vt communiter occurrit, ranula ſit frigida & conſiſtens, vt dificiatur ϛάσις & coitio in tumorem etiam lentum, more ſimilium ordinario, opus eſt, vnde frictiones tales e ſalinis fuſoriis, & calidiora paulo conueniunt magis, v. g.

℞ eſſent. pro vlcer. guttur. Auguſt. ʒij.
ſpir. vin. camphor. ʒß. vel j. M.

Vti & puluis ille ipſe, ex quo eſſentiam hanc præſcripſimus, eo & aliis caſibus, malignis inprimis, eſt egregius, vt & eſſentia vel ſolutio vitrioli albi, & puluceres variorum ad hunc vſum, huc referri queunt.

Egregium experimentum eſt, quo puellum curatum nouimus, frictione cultelli, vel gladioli myrtini, vel quaſi, ex ligno, quo bufo confoſſus erat, ſemel iterumque adhibita, quo facto ſeceſſit quaſi cuticula, inuolucrum membraneum, malumque euanuit penitus.

Viſus etiam eſt tumor idem ad ſuppurationem quandoque abiiſſe, quæ ſi imminere videatur, iuuanda eſt taleolo ex carica, cum theriaca illita, applicato. Quod ſi mollis iam facta ſeu præſto ſit, etiam pro re nata aperiri poteſt, ſectione ſummæ tunicæ facta; vbi & non æque pus, ſed & albugineus humor

magis exiiſſe, vel exprimi viſus eſt, vlcere hinc melle roſato vel ſirupo veronicæ camphorato abſtergendo & conſolidando.

Tacemus venæ ſectionem ſub lingua iuxta *Aetium*, cauterium ipſum in firmius indurato, & alia, quæ ſaltim in infantibus minus locum habent. Vid. *Strobelberg. c. 11. p. 27. Tulp. lib. 1. obſeru. 52. p. 96. ſeq. Bartholin. cent. 1. hiſt. 88.* & ibi citati. Nigredo etiam ipſa occurrens ſuſpecta eſt, & cauendum, ne in tumorem vel vlcus mali moris degeneret.

Grauius longe malum eſt ANGINA INFANTILIS, de qua rariores quidem legas autores, duo tamen præcipui laudari merentur, *Panarolus*, *Pentecoſt. 2. obſ. 4.* qui anginam contagioſam vocat in pueris, & *Marcus Aurel. Seuerinus*, qui pædanchonem vocat. In Italia enim frequentius obſeruatur, quam apud boreales magis Europæos. Et nihilominus tamen datur, vti nupera hieme vni generoſiſſimo viro, vno ſolo filio excepto, cui fuga conſuluit, omnes liberi (ſex v. g.) hoc pacto extincti ſunt, aliquot abhinc milliaribus, vnus poſt alterum.

Quare omnino & in hoc exerceri par eſt. Enimuero ſeu occaſione frigoris & flatus auſtrini, qui & aliis pluribus idem malum intulit, ſeu alia, inflammatio faucium ſeu prunella vulgò ex ῥευματισμῷ concepta, communia ſigna ruborem, dolorem, febrim, deglutitionem difficilem, & ſuffocationis metum, infantibus præſertim, infert.

Et tanto quidem periculoſius, quanto minus ſunt tractabiles, nec os aperiunt, nec medicamenta admittunt neceſſaria, vid. *Panar. l. c.*

Quod ſi morbum ad aphthas referre placeat cum *Seuerino* ex *Aretæo lib. de morb. acut. cap. 4. p. 12.* non communes illæ, & ſupra tactæ ſimplices intelligendæ, quarum & *Celſus* memi-

meminit *lib. 1. c. 2.* lactentibus propriæ, ſed aliæ longæ, verbo inflammatoriæ, mali moris, vnde rectius ſcapham ſcapham nominando ad anginam ſpectat, eamque malignam.

Hinc omni modo ſollicite curandum, vt ςάσις illa diſſiciatur quoque, feruor contemperetur, & ſanguini circulus reſtituatur debitus, per generoſa bezoardica & alterantia v. g.

℞ tinct. bez. eſſentif. ʒß. mixt. ſimpl. rectif.
eſſent. ſerpent. Virg. a. ℈ß. anodyn. gtt. ij. M.

℞ arcan. tripl. ℈j. lap. bez. de Goa ℈ß.
cinnab. nat. gr. iv. camphor. gr. ij. M.

Pertinent huc *Panarolo* experta, ſuccus luiulæ, vel trifol. acetoſ. ſirup. granat. cum cortice, ſirup. moror. ipſeque ſpir. vitrioli prouide adhibitus, præter iniectiones, & a chirurgo adminiſtranda alia, veſicatoria ipſa, clyſteres, & ſimilia.

℞ tinct. flor. papau. rhœad. clyſſat. ʒß.
D. in vitro pro alterando potu.

Conſ. *Hippocr. lib. de dentit.*

CAPVT XXI.

DE *Dentitione difficili.*

DVo præcipui tortores infantum particulares ſunt, dentitio, & epilepſia, vt vniuerſalis variolæ. Placuit enim Diuino Creatori in hominibus dentium quidem ſtamina ordinarie condere in ſuis loculis (rariſſime enim dentati eduntur infantes) donec maſticationis vſus eorum præſentiam exigat. Vid. *Ferrar. p. 174. S. l.*

Adeoqve reuera iam inſunt primordia, a primo ortu, ſed tantiſper latentia, teſte autopſia in ſceletis. Quandoque citius erumpunt, vtplurimum a ſexto circiter menſe, rarius paulo ante illum, quandoque ſerius ad annum quoque producti & amplius. Prodeunt item aliquibus minori difficultate, aliis maiori, imo funeſto non paucis germine.

Exeunt e maxilla ordinarie primores, etiam hoc nomine dicti, iique maxime inferiori, vnde quibus primitus e ſuperiori climate procedere obſeruantur, gaudium fere maius pariunt; vnus poſt alterum. Quo vero plures ſimul eniti volunt, eo fere magis periculoſe afficiunt, & inter hos maxime canini, ob profunditatem & acutiem; vnde mechanica *Galeni* inſtar paxillorum (σκολόπων) lancinant & afficiunt. Vid. *Celſ. Hipp.* &c.

Duplici gaudet actu dentitio, quorum primus eſt ὀδαξισμὸς, (τῶν οὔλων quando irruunt, wen̄ ſie anſetzen/ pruritus feſtinantium ad eruptionem dentium. Secundus ὀδοντοφυΐα, prorumpentibus iam dentibus, wenn ſie durchbrechen. Vid. *Marcell. Virgil. l. 2. Dioſc. c. 65.*

Prior longe grauior eſt, inprimis quando nulli adhuc eruperunt, vti etiam obeſiores infantes peius eo caſu habent; alter ordinarie leuior, & ſæpe inaduertenter fit, idque non ſtatim a primo, ſed ſæpius poſt aliquod tempus elapſum. Aliquando vero ob duritiem gingiuarum, vndecunque enatam, & alter moleſtiam creat, & aduertendus eſt.

Cum itaque dolore & irritatione fermentifica lymphæ in parte affecta, gingiuis, & toto concurrente fiant ſaliuatio, geiffern/ (quæ bona eſſe ſolet magis, quaſi critica, index pororum apertorum) tuſſis, vomitus, febris, alui fluxus, (qui reſpectiue melior eſt obſtructione) & motus conuulſiui, ipſaque epilepſia, vomitus aliquando ipſi, & alia

eue-

eueniant; ſummatim res eo redit, vt (1) promotio localis fiat, & (2) ſymptomatibus inde productis contra eatur, ſeorſim & coniunctim.

Promouetur eruptio leni frictione (ſiquidem admittatur) etiam præſeruatiue, tum digito, cum vel ſine emollientibus χαλαςικοῖς, tum lardo probe infumato. Facit huc affrictus medullæ & cerebri leporini vel vitulini cocti, ſanguis criſtæ galli leuiter acu vulnerati, butyrum ipſum, iam *Dioſcoridi* laudatum, quo, vt & oleo amygd. dulc. ſine igne, etiam genæ illini queunt, vt & adeps leporinus recens, & ex compoſitis balſam. pueror. dentientium *Mynſicht. p. 474.*

Tacemus dentem lupi, caſtoris, bacillum e chalybe, quæ appenſa ad frictum hunc, & quaſi luſum, præſto ſunt, vnaque calorem ſolantur; appenſam item rad. martagi, Goldwurtz/ pæoniæ & alia, bacillum ex rad. alth. glycyrrhizæ, itidem ad frictionem, & quaſi morſicationem, cum vel ſine ſirup. pap. rh. parum.

Inter hæc vero cauendum eſt, ne fiat præuaricatio, ſeu pinguibus, inprimis rancidis, intus applicatis nauſea citetur, ſeu frigidioribus extus varie appoſitis tranſpiratio impediatur, ſeu crebriori topicorum applicatione velut callus quidam, ſeu durities, gingiuis concilietur, minus facili hinc conceſſo exitu. Hinc & cataplaſmata maioris apparatus, vel vnguenta crebriora, facile tædium creant.

Hæc vti ſunt euporiſta, & ſæpe ſufficientia vulgo, ita alterantia, præcipitantia, neruina, antepileptica interius potiora ſunt, non omiſſis pro re nata lenioribus anodynis v. g.

℞ pulu. bez. de Goa, epilept. March. cephal.
dent. hippopot. phil. præp. a. ℈ß.
magiſt. anodyn. gr. iij. M.

Si cereuiſiam bibant, etiam eſſent. ſerpent. Virgin. cum bezoardica & tantillo anodynæ, ad aliquot guttulas propinari queunt. Si tuſſis vrgeat, puluis pectoralis cum bezoardicis miſceri poteſt; ſi vomitus & alui fluxus excedens, theriacalia, eſſent. theriac. cornu cerui vſt. & alia appropriata conueniunt, cauendo, ne temere ſiſtatur.

Alui adſtrictioni ſuppoſitorium ſuffecerit, vel clyſter quoque, vna febri & motibus ſpaſmodicis debitus. v. g.

℞ decoct. herb. quinque emollient. (ex a. m. ß. cum rad. pæon. ʒj. vel ij. addendis facile aliis, facti) ℥iiß. iij. iv.

elect. lenit. ʒj. ol. rutac. ʒiß. ſacchar. Thom. ℈ß. M.

Ad alterum caſum, quando dentes, ob duriorem fibrarum coalitum, e gingiuis dimitti renuunt, & dolorem cauſant, in vſu quidem eſt compreſſio lateralis cum niſu aliquo, vt diuellatur cutis extima, minus vero laceratio cum vnguibus concedenda. Facile vero & optimum eſt, ſi ſcalpello etiam vel lanceola leuis ſeu ſuperficiaria fiat in longum inciſio quædam, hinc mellis roſati parum illito. Optime de hoc egit *Paraus*, & ex eo *Strobelberg. de morb. infant. p. 24.* vbi & exempla adducuntur.

Quod ſi adhuc nutrice vtatur, abſtinere debet a vino, & acrioribus, ſalſis, muriatis, acidis, aromaticis; adhibere vero itidem vel nitroſa temperantia, vel bezoardica & præcipitantia.

CAPVT XXII.

DE

Scorbuto oris & reliqui corporis

MIrandum eſt, & in infantibus ſcorbuticum miaſma ſe exerere, non ſolum latenter, vt alio capite de rachitide dicemus, ſed etiam aperto marte, comitatum & primarium ipſum; Fre-

Frequentior eſt ſtomacace, quorſum & dentium & gingiuarum vitia referre par eſt. Ita patiuntur ſuos manes (1) ante dentitionem, quando ſpuria quaſi illa veram mentitur, quo de *Strobelbergerus l. c. pag. 25*, agit optime. Tubercula ſcilicet dentium loco extuberantia, Beul/ Beulzähne/ poſteriori parte gingiuarum, ſeu parodontides, quibus ſuctus impeditur, parotides vocat *Ferrarius p. 177.*

Quod ſi pone aures digito compreſſio fiat, dolorem excitat inſignem, & hoc patefacit vna morbum. Vertuntur etiam tumores hi nonnunquam in abſceſſum, quin & genæ eo latere intumeſcunt, & ſi redeant, facile in fiſtulam abire queunt.

His, præter alia communia, interius conuenit ad gingiuas protuberantes oleum amygdal. dulc. blande illitum, pro re nata etiam caricæ taleolus cum eodem, vel cum theriacæ momento applicatur. Exterius vero axungia leporis recens aurium regioni aliquoties illita ſpecificum eſt. Vid. *l. c. Strobelberg.*

(2) Poſt dentitionem eadem in quibusdam luditur fabula. Ita vidimus tum dentes nigros, (quæ ipſa etiam nigredo argumentum ſcorbuti præbet) putidos, tum gingiuas epulide, veſiculis, abſceſſu affectas cum fœtore, imo dentes non paucos radicetenus ſeu funditus corruptos, relicta in ſequentem ætatem deformitate. Hoc pacto, v. g. puellus tunc temporis duos annos natus, tædioſa, & ſedula cura tractatus, euadebat tandem.

Nec hoc ſatis eſt particulare quaſi gingipedium, ſed & in toto ſcorbutus diffuſe ſe exerens obſeruatus eſt. Exemplo ſit puella quinque annorum, in qua, ſana ceteroqui viſa, vidimus vniuerſum corpus maculis ſcorbuticis punctatis ex

rubro fuſcis pictum, vnaque glandulas ſubcutaneas in conglobatas mutatas, preſſa cute ſublucentes liuidas; curabatur tamen perfecte.

Pro cauſa laudatur & hic putrilago lymphæ acida intus, corruptela particularis ſulphuris alibilis, obſtructiones & coagula glandularum. Occaſionem largiuntur lac vitioſum, & fermentum ſcorbuticum a nutrice, vel matre etiam, præmaſticando a ſaliua in fœtum, ſeu infantem, deriuatum, accedentibus hinc aliis quoque, vnde dentibus caries, gingiuis laxitas, odor & color localiter defœdatus &c. oriuntur.

Ad corrigendam itaque hanc cacochymiam ſcorbuticam, & ſalia cœnoſa, acetoſa, reſoluentia & deturpantia ſulphur ſanguinis, licet æqualiter reſpectiue, conueniunt antiſcorbutica, temperata & media, alterantia, renouatiua, antimoniata, cinnabarina, edulcantia, & inuertentia, ſaponaria.

℞ tinct. mart. cydon. aqu. ſumm. abiet. a. ʒj.
ſpir. tartar. ʒß. ol. lign. ſaſſafr. gtt. j. M.
℞ eſſent. mart. vitriolat. ʒj. D.
℞ eſſent. antimon. tartariſ. ʒß. anim. rhab. ʒj. M.
℞ elix. prop. rubr. eſſ. lign. vel cuſcut. compoſ. a. ʒß.
mixt. ſimpl. rectif. ℈ß. M.
℞ pulu. bez. min. ʒß. cinnab. natiu.
viperar. Italic. a. ℈ß.
eſſent. myrrh. balſam. gtt. iij. M.
℞ arcan. triplic. ℈j. cinnab. natiu.
antimon. martial. cachect. a. ℈ß. M.

Sic & leniter euacuantia ex vſu ſunt, nec omittenda.

℞ rhab. elect. pulu. gialap. a. gr. iij.
tartari reſolut. gr. ij. ☿ nat. gr. j. M.

Quæ

Quæ ſingula, pro ratione ætatis & circumſtantiarum, variari a prudenti artis directore amant; emetica rarius, diaphoretica blandiora ſolum adhibendo. Tacemus clyſteres appropriatos.

Exterius, præter dicta euporiſta, in gingiuarum & dentium putrilagine roborantia, blande abſtergentia, & balſamica temperata proſunt. Ipſa etiam veſicatoria nec in infantibus & hoc caſu reformidanda, ceruici applicata, quia promte ad poſtica reuellunt lympham acrem fermentificam.

℞ aqu. calc. viu. ſalu. a. ℥ß. tinct. lacc. ʒij M.

℞ herb. ſumach, ſalu. a. mß.

terr. Iapon. ʒij. myrrh. maſtich, a. ʒj.

Feruefiant, vel leniter decoqu. ad eluendum.

℞ eſſent. traumat. ʒij. ſabin. ʒj.

ſir. diamor. ʒij. M.

Seorſim & cura chirurgi iungi merito poteſt, ad repurgandum, & reliqua, dummodo admittatur ab ægris. Quando enim dens plane corruptus eſt, & nullius amplius vſus; ſi item nouus emergens ab altero vacillante impediatur, ne eluctari recta in locum debitum queat, eximendus fuerit. Omnique modo cauendum, ne loquela impedimentum & deformitas inde oriatur.

Abroganda etiam hoc caſu nutrix mali moris, ethice & phyſice, ſtudendum munditiei, & ſalſa, muriata, acida, lacticinia, dulcia, mellita, ſaccharata, & alia deuitanda.

CAPVT

CAPVT XXIII.

DE

Raucedine, tuſſi, reſpiratione difficili, coryza, febri catarrhali, catarrho ſuffocatiuo.

AFfines & ſymbolici hi affectus ſeorſim in infantibus quoque attendendi, raucedo quidem rarius, & ipſa tamen ſui generis aliquando viſenda, ob aſperitatem circa glottidem, tuſſis vero inſtar omnium *3. aphor. 24.* ob teneritudinem ætatis, & partium vocalium.

Præcipue vero notandum, etiam in infantibus tusſim, alias omnibus communem, non vno nomine opem flagitare, prout (1) vel primaria eſt, vel comitata, vel ſymptomatica, (2) vel per eſſentiam, ratione ſubiecti inprimis, vel per conſenſum, niſi enim hæc probe diſtinguantur, facilis error obtingit.

Ita modo ſola eſt, & ſimplex, a catarrho & cum eodem, ſeu coryza; ob aeris iniuriam, ob contagium a nutrice tuſſiente, vel a frigore non ſatis defenſis mammis, modo iuncta cum dentitione, & ſaliuatione, cum variolis maxime, quas præcedit ordinarie, non raro etiam epidemia.

Viſa etiam eſt cum ſtertore in tenellis, v. g 18. 20. ſeptimanarum, röcheln/ & ſolitario quoque eodem affecti. Enimuero hoc ob cauſas etiam morales, ſeu ignorantiam fit, quando infantes minus expectorant, ſed deglutiunt potius pituitam obuiam & moleſtam. Hinc & præcordia ſæpiſſime tum fouent tusſim, ſeorſim conſideranda, tum compatiuntur cum vomitu, & iisdem, &

pul-

pulmonibus inde liberatis, aliquando & a concuſſione illa diaphragmatis, non minus ac ipſa hæmorrhagia narium, oriunda.

Attendendæ hinc circumſtantiæ coniunctæ, vt non ſoli pulmoni, eiusque bronchiis, nec ſoli ventriculo adſcribamus cauſam, vel remedium afferamus, ſed toti quoque ſeorſim, ipſisque neruis proſpiciamus, maſſæ ſanguineæ & lymphæ, ipſa etiam non raro conuulſiua exiſtente, & ſuffocatiua.

Enimuero morbi hi ſeroſi præcipui lymphæ, in circulo ſuo læſæ & ϛάσιν paſſæ, debentur, modo viſcido coagulo, modo ſalſedine titillante, & fluxilitate conſpicua, vnde reliqua phænomena conſurgunt. Tacemus alias communes cauſas, & occaſionales, vt lumbricos ipſos.

Pro gradu vero huius extrauaſationis, irritationis, obſtructionis, fermenti peregrini, variant etiam laudatæ aliæ ſpecies, aſthma ipſum, & metus ſuffocationis; coniungendis etiam partium reliquarum affectarum notis, vti in cruditatibus & lumbricis tumor præcordiorum v. g. concurrunt quandoque.

Epidemia & febris catarrhalis breuius fere finitur, producta in aliis, rariſſime vero in infantibus ad phthiſin degenerat, quæ vera funeſta eſt vtplurimum.

Vti itaque lympha eccentrica & inæqualis, eiusque coagula disiicienda, promouenda, reſoluenda, diuertenda, complananda, abſtergenda eſt, ita pectoralia quidem effectiue fuerint præcipua, tuſſi vt tali oppoſita, non tamen ſine bezoardicis, præcipitantibus, neruinis, ipſisque blandis & refractis anodynis, vbiuis vel his, vel illis magis cordi habendis, pro indicantium modulo, v.g.

℞ pulu. pect. N. O. ℈j. ~ ⊖*ci aniſ. gtt. V. M.
pro tenello ad V. VI. VII. doſes.

℞ pulu. pect. ℈j. bez. lap. de Goa a. gr. V. vel ℈ß. M.

℞ pulu. pector. cum ſem. lycopod. ℈j. bez.
ſperm. cet. alb. a. gr. V. elæoſacch. fœnic. gr. V. M.

A ſpermate ceti ipſo, etiam ſolo in reſpiratione difficili propinando, ordinarie fere ſequitur vomitus cum εὐφορίᾳ, infantes enim ſunt ἐνέμετοι, & vna ſic viſcida pituita commode euacuatur.

℞ pulu. pector. balſamic. dulc. (cum ſem. lycop.) ʒij. D.
qui in tuſſi ſimplici per ſe ori ſubinde inſtar piſi ingeri poteſt, cum ſucceſſu, leniter deglutitione facta.

℞ elix. pector. ʒj. eſſent. theriac. balſam. ℈ß. vel j.
ſpir. ⊖*ci aniſ. gtt. viij. R anod. caſtor. a. gtt. iij. M.

℞ tinct. bez. eſſentif. elix. pector. a. ʒß.
liqu. C. C. ſuccin. ℈ß. eſſ. anod. gtt. iv. M.

℞ elix. pect. ʒß. liqu. C. C. ſuccin. M. S. rectif. a. ℈ß.
ſpir. ⊖*ci aniſ. gtt. vj. eſſent. anod. gtt. iv. M.

℞ ſpir. ⊖*ci aniſ. ℈j. eſſ. myrrh. balſam. gtt. vj. M.

Anodynis ipſis quoque impetus fortior acrioris lymphæ cum prudentia refrenatur, inprimis ſi ſternutatio coniungatur frequentior, non ſolum hæmorrhagias, ſed & herniam, vmbilicalem & ſcrotalem, concitare apta, quin & conuulſiones ſignans. Ita & a tuſſi infantis vnius anni, vtroque oculi cantho ſanguinis excretionem obſeruauimus.

Omnium grauiſſimus vero in infantibus eſt catarrhus

ſuffo-

ſuffocatiuus, ſæpe intra paucas horas extremos labores affe-rens, & reuera ſimul magis ſpaſmodicus, vnde omnia quaſi huc conueniunt dicta, ſed actiuiora & ſelectiora.

In oleoſis, vt ipſum oleum amygd. dulc. cum ſaccharo penidio etiam in tuſſi &c. conuenit, ita in his, item in pur-gantibus, in emeticis ipſis, & dulcioribus, ſir. de peto, hiſce caſibus non præuaricandum, ſingulis ceteroqui locum ha-bentibus quoque, ſed cum cautela.

℞ aqu. hyſſop. cerefol. card. ben. tuſſilag. a. ℥ß.
gum. ammoniac. cum aqu. aſthmat. reſolut. (vel eſ-ſent. eiusdem) ℈ß vel j.
elix. pector. ʒß. ſpir. ⊖✻ci aniſ. gtt. vj. viij.)
mann. elect. ʒij. oxymel. ſquill. vel
looh de ſquill. ʒj. M. F. potio.

Eſt & ſua laus clyſteribus hoc loco, ſicut in genere in pectoris hisce affectibus aluum apertam eſſe conſultum eſt.

℞ rad. alth. pæon. helen. a. ʒij.
herb. hyſſop. cerefol. alth. a. mß.
flor. lil. conuall. melilot. a. p. ij.
caric. pingu. n. iij. aniſ. ℈ß. Coqu. &c.

℞ colat. ℥iij. ol. rutac. ʒij. mann. el. ʒj. M.

Exterius quoque ſuppetiæ ferendæ. Sic pectori & præ-cordiis præſcribi poteſt:

℞ vngu. pector. rubr. potab. a. ʒij. vel iij.
ſpir. ſal. ammon. aniſ. ℈j.
ol. hyſſop. ſuccin. fœnic. a. gtt. j.
camphor. gr. ij. M.

Plantis pedum pinguedo lucii piſcis, vel taxi quoque, vel gallinæ ipſius illini commode poteſt, ad placandos ner-uos irritatos. Suffitus quoque coryzæ optime ſuccurrunt,

v. g. vel ex gummi animæ ſolo, camphora item appenſa, ad difflationem iuuandam.

Ceterum nec balnea, nec pediluuia, nec lotiones aliæ, vel epithemata humida alia conueniunt, quod lymphæ circulo promouendo minus, magis vero turbando, congruant. Tacemus nutrici præſcribenda & medicamenta & diætam; quæcunque enim lympham exacuere, & ſalibus ſtimulum addere poſſunt, cauenda.

Plura alia euporiſta, tum vulgo nota ſunt, neceſſaria tamen cognitu, tum apud *Strobelbergerum* & alios vbertim recenſentur, v. g. decoctum rapar. exiccat. ſacch. cant. per ſe, & cum aliis, iuſcula auenacea, & alia, ſir. violar. ſuccus glycyrrh. trochiſci vel rotulæ bechicæ; quæ ad bene eſſe & malo producto conducunt, cauendo nimis ſiccantia.

CAPVT XXIV.

DE

Alui adſtrictione.

VT aluum nec nimis ſtrictam, nec laxam nimis eſſe conuenit; ita vtrumque non raro etiam in infantibus occurrit.

Et adſtrictio quidem etiam a primo ortu viſitur, expedienda mature, ad repurgandum meconium; quod ſi non fiat, fermentum morboſum acido-bilioſum facile conſurgit, variorum ſymptomatum cauſa.

Hinc & ſequentibus incrementi annis aluus laxari debet, niſi reſpondeat, non tamen ſæpius & quotidianis quaſi ſtimu-

ſtimulis, vt nec medicamentis frequentius in genere, niſi id opus ſit, fatigare eosdem decet, neque aloeticis quoque ipſis æque.

Quamobrem optimum eſt conſiderare ſtatum præſentem, vtrum in alias ſanis, (ſeu citra alium morbum) an ægris id eueniat, adeoque directe ac primario, an indirecte ac ſecundario ſaltim opus ſit medicina hac, ad bene eſſe.

Enimuero ſiccitas, obſtructio & remoræ tales naturæ fiunt vel ab erroribus externis, vel idioſyncraſia inteſtinorum, quod in producta magis valet & verum eſt.

Sic a potu minori, a cereuiſia acida, hauſta etiam a nutrice, a frigore & aliis, ſi id accidat, hæ remouendæ ſunt cauſæ.

A morbis vero aliis, vt a dentitione, febri, inflammationibus, variolis & morbillis maxime oriunda obſtructio probe conſideranda eſt; modo promouenda blande, vt priori caſu, quod niſi fiat, ſymptomata augeri, & abſceſſus quoque interdum facti viſi ſunt; modo cauendo laxantia, vt poſteriori, ne natura bene agens temere turbetur.

Inter cauſas illas torpor archei inteſtinorum, pituitæ ibidem largioris viſcidæ congeſtio, ſtimuli, bilis & lymphæ roridæ, ſaltim localis, defectus; acidi & auſteri largior prouentus, retentio fecum imperata quandoque &c. attendi merentur, quibus hinc humectantibus, emollientibus, & leniter ſtimulantibus contra eundum eſt.

Conſulendum hinc tum in præſens huic ſymptomati, vndecunque oriundo, ſi vrgeat, & nihil impediat, ſeu contraindicet, tum in futurum, inprimis ſi producatur, vti viſi ſunt vix ſemel intra tres, quatuor, quinque dies, vel ter ſaltim inter duas hebdomadas aluum depoſuiſſe.

Sic leuiſſimum eſt & notiſſimum, præſtare id ſuppoſitorio, vel ex ſimplici melle ad ſpiſſitudinem cocto, domi, vel in officina potius, vel ſaccharo globulato moſchatoque, Bieſen-Kugeln/ vel confecto in bacillo, mit einem Zucker-Stengel/ ſingula illinitione cum oleo amygd. oliuar. vel lini facta, vt facilius ac ſine læſione ſubeant, & lenitio promoueatur, & liquatio.

Idem fit domeſtico euporiſto cum lardo infumato duriori, in pyramidem ſeu ſuppoſitorii formam apparato; fortioribus vero quibuscunque minus præuaricandum, vel iterandum, ne lædatur ſphincter, vel aſſueſcat natura.

Nec, in caſu ſiccitatis inprimis, clyſteribus abſtinendum, quos facillime ferunt infantes, & hoc caſu expertos nouimus, modo minori apparatu, ex vnius vel alterius plantæ decocto ad eluendum facto, iunctis modice lubricantibus, & ſtimulantibus, ſed tepide applicatis.

℞ lact. calid. vel brodii carn. vel decoct. chamom. &c. ℥ij. iij. iv.
ol. amygd. dulc. vel rutac. lil. alb. a. ʒj. ij.
ſacchar. Thom. rubr. ℈ß. j. M.

℞ decoct. herb. v. emoll. & flor. chamom. ex ℔ß. p. ij. fact. ℥ij. vel plures,
elect. lenit. ʒß. j. jß.
ol. chamom. vel alterius ʒj.
ſacch. Thom. ℈ß. gr. XV. M.

Neque ipſa tamen enemata quoque quotidiani debent eſſe vſus, per dicta.

Interius vero hoc ſcopo directe quidem aliquando purgans dari poteſt, & debet, inprimis morbo alio coindicante; in

in altero vero caſu & alimentis & medicamentis emollitio & promotio iuuanda v. g.

℞ rhab. el. gr. ij. iij. iv. gialap. gr. ij. iij.
cinnab. nat. gr. j. M. F. pulu.

℞ pulp. paſſular. min. ℥j. caſſ. tamarind. vel loco huius mann. a. ℥ß. rhab. el. ʒij.
ſir. de cichor. cum rhab. q. ſ. M. F. elect.

quantitate auellanæ per hebdomadem ſemel dandum.

Vti vero vulgi abſurda, v. g. plumæ anſeris conciſæ in puluillum cum aqua e veſica fornacis, non danda facile, ita veſca medicamentoſa optima ſunt. Tale eſt non ſolum ſemen aniſi propinatum, *Heurnii* experimento, ſed & paſſulæ minores comeſtæ, ſem. lycopod. ipſum, *Ettm.* pomum Borsdorff. ſingulo mane conceſſum, rob. prunor. cum pane, & ſimilia.

℞ ♀ fol. ſenn. el. ℈ß. crem. tartar. ſem. aniſ. a. gr. v. M. danda cum intrito cereuiſiario.

Faciunt huc & epomphalia, vti vulgus ex pinguedine anſerina, pipere & muſcerda linimentum illinere ſolet, alii aloen cum butyro mixtam putamini nucis iuglandis incluſam. Balneum vero ſi placeat ad ſiccitatem ſolandam, ſem. quoque lini conquaſſatum cum lacte coctum abdomini applicari poteſt.

In grauiori caſu expectatio locum habet, & mutatione tum ætatis, tum diætæ ſperandus melior ſucceſſus. Commodiſſimum quoque eſt hoc caſu butyrum pani illitum præmittere paſtui, quam poſtponere, deuitare vero groſſiora & ſtyptica.

CAPVT

CAPVT XXV.

DE

Alui fluxibus, lienteria, diarrhœa, & dyſenteria.

COntrarium ex aduerſo malum eſt alui fluxus, cui infantes humidiores ſunt facillime obnoxii, a quocunque lymphæ ſtimulo fibrillas nerueas irritante, vel coctione turbata.

Accidit hoc non ſolum dentitionis tempore, vbi & ſaliua copioſius affluit, & deglutitur, ſed & alias ob fermentum lymphæ acido-acre-bilioſum, ipſumque lac non vno modo corruptum concurrit, vnde diuerſo gradu, maiorem, minoremue ſtimulum importat, vnde & cholericum quid ipſum aliquando iunctum vidimus,

Quod ſi hinc appetitus bene habeat, febris, calor vagus, motus ſpaſmodici abſint, non coniungatur vomitus, & a prægreſſis erroribus diætæ, vel ἀδδηφαγία, ſeu copia ſola ingeſtorum hoc fiat, non adeo malum vel timendum eſt, & contra.

Sic & color excrementorum definit, & limitat præſagium ac periculum, ipſamque curationem. Pituitoſæ feces, minus reformidandæ, communiter vero virideſcentes & flaueſcentes, acriores, tenuiores, lac corruptum, & acrimoniam maiorem bilioſam præ ſe ferunt; quandoque & inſtar lentis paluſtris minuta glomeramina viſuntur, κάκωσις maior, bili & acido auſtero debetur, longe peior, ſi fœtor & nigredo adſit ſimul. *4. aph. 24.*

Fit

Fit etiam non raro a coctione ventriculi debili, vt tum cibi magis vel minus crudi excernantur, tum aliquando & medicamenta colorem aſſumtorum proprium referentia v. g. modo albida a teſtaceis, modo rubra a cinnabarinis, velut intactis & non mutatis.

Præter dentitionem itaque & errorem externum quemcunque ventriculi ἀτονία in cenſum venire debet, vt in omni fluxu alui, ipſeque gradus additus, ſeu ſtimulus maior, fermentificus & febrilis, quod dyſenteriæ proprium eſt.

Notabile tamen & hoc, quod aliquando obſeruauimus quoque, innoxie quaſi vel ſaltim citra dyſenteriæ metum, in infantibus, alui feces quaſi ſtrias cruentas referre ἀναυσιώσει quadam, vel anaſtomoſi, vel diapedeſi venarum, quod, niſi continuet, minoris momenti eſt.

Dyſenteriam tamen ipſam non infantibus parcere certum eſt, eamque ex noſtra obſeruatione duplici caſu, frequentius æſtiuis menſibus, quibus familiaris eſt alias communiter, & magis ordinarie; alias vero licet rarius, idem vidimus menſe Martio ineunte.

Et ne dubium de hoc eſſet, (1) infans generoſus (2) nutrix, (3) ancilla, (4) informator, eadem ordine corripiebantur, omnesque euadebant, (5) vero ipſa mater vidua, quæ cum ſedem mutaret, in itinere eadem itidem correpta, & quo tendebat, veniens, ſui negligentior, mortua.

In ſingulis hisce caſibus curæ negotium omne non eſt naturæ ſoli committendum, quod nonnullis videtur placuisſe, ſaltim in principio, & vulgi mos eſt, ſed ex legibus artis procedendum pro indicantium præſente copia, ſaburræ ipſa depletio debite promouenda, nec ſimplici adſtrictioni fidendum, facile nociuæ futuræ, ſed roborantibus, inuertentibus,

bezoardicis, theriacalibus temperatis ſuppetiæ ferendæ, non neglectis ipſis anodynis debite mixtis, & carminatiuis.

℞ rhab. elect. gr. iv. v. vj. lap. cryſtall. præp. gr. ij. M. F. pulu.

℞ rad. ipecacuan. gr. iij. iv. v. vj.
olei calam. arom. gtt. ß. M.

Clyſteres quoque abſterſorii in inflationibus & teneſmo metuendo admitti poſſunt, pro re nata, vel ex ſolo lacte leniter calefacto, vel cum radice plantag. cocto, addito etiam vitelli oui & ſacchari Thomæi parum.

℞ cort. chaquerill. pulu. ſtomach. reform. a. ℈j.
olei calam. aromat. gtt. ij. theriac. cœl. gr. j. M.

℞ pulu. bez. lap. de Goa a. ℈ß.
extr. theriac. gr. j. M.

℞ pulu. ſtyptic. rubr. ℈j. corn. ceru. vſt. præp.
chaquerill. cryſtall. mont. præpar. a. ℈ß.
theriac. Androm. gr. vj. extract. anodyn. punct. iij. M.

℞ eſſent. traumat. theriac. balſam.
tinctur. bezoard. a. ℈ß. anodyn. gtt. iv. M.

Cretacea vero mera in infantibus tali caſu minus conueniunt, præſtant corallia rubra; ſic & cinnabarina ſimul ſuo modo laxant, itaque minori doſi danda.

Vna vero cereuiſia ſeu potus alterandus, corn. ceru. vſt. nuciſt. cum pane toſto, quantum vero fieri poteſt, potus paulo parcior concedendus, a largiori enim fluxus augetur.

Sin nutrix ipſa quoque ſimul laboret, ſeorſim etiam huic paria medicamenta propinanda, & cauendus eſt motus, & aer frigi-

frigidus omnis, quies & abſtinentia a fermentificis quibusuis, maxime fructibus æſtiuis, ceraſis, prunis cereis &c. vnde dyſenteriam ipſam factam vidimus, commendanda. Sæpenumero enim ab ipſa cereuiſia recenti vel acidula diarrhœa conſurgit, mutatione admodum neceſſaria egens.

℞ ol. hyoſc. ʒiß. cal. arom. mac. aniſ. fœnic. a. gtt. iv. M.

℞ theriac. Androm. ʒij. iij. ℥ß.
ol. nuciſt. expr. ʒj. ʒiß.
menth. calam. arom. chamom. a. gtt. ij.
camphor. gr. iij. M.

℞ herb. menth. m. ij. chamom. cum tot. m. j.
ſummit. aneth. fl. cham. Rom. a. mß.
ſem. caru. ʒiij. zedoar. cort. aurant.
bacc. laur. a. ʒj. vel ij.
C. C. gr. m. D. pro ſacculo ſedulo repetendo calefacto.

Et hæc reſpectiue, facto ſelectu, pro ſingulis ſpeciebus conueniunt, facile varianda. Sin malignitas maior ſit, bezoardica quoque magis danda, opiata vero nec hic, vt diximus, ſunt reformidanda, modo dentur prouide & cum cautela.

℞ pulu. ſtypt. bez. fragm. lap. bez. or. a. ℈ß.
ther. cœleſt. gr. j. M.

Vidimus ita plures euaſiſſe etiam infantes a grauiſſimo hoc morbo, dyſenteria, ſed relinquit etiam hæc facile poſt ſe in aliis tumorem pedum, aliis atrophiam, & diſpoſitionem ad gibboſitatem; aliis lienteriam tædioſam, ipſumque inprimis teneſmum & ani procidentiam, quæ ipſa & ſeorſim curam expoſcunt. Sin moriantur, præuio frigore extremorum, & conuulſiuis motibus etiam illis idem contingit magis.

CAPVT XXVI.

DE

Teneſmo & procidentia ani.

DVo hæc alui fluxuum, inprimis dyſenteriæ in infantibus ſunt pedisſequi affectus non rari. Teneſmus quidem intenſiue, procidentia ani extenſiue, ille præcedens, hæc conſequens; vtrique admodum ſymbolici, gradu diſtincti, & vicinia, aliisque.

Et teneſmus quidem tribus quaſi partibus potiſſimum communis eſt, & principaliter quidem ano competit, quo de prædicatur κατ᾽ ἐξοχὴν, & quaſi proprius; adæquate vero & identifice ſuo modo veſicæ, & ipſi vtero.

Enimuero proprie debetur ſphinctcri præſidi portarum diſtinctarum, quoad ſenſum expreſſum & motum, ſeu niſum excernendi arduum & continuatum, cum nulla vel exigua materia reddita, mucoſa v. g.

In ſingulis eſt tenſio elateris huius, ὀδαξισμός, vt quod ſtranguria eſt in orificio hoc ac elatere ſeu ſphinctere veſicæ, ardor & enixus in orificio & elatere vteri, id ipſum ſit diſtinctim teneſmus orificio & ſphincteri, ſeu muſculo orbiculari & marſupiali, vt ita loquar, ani ad excretionem, non tam quoad molem, quam virtutem irritati, vnde hoc diſtinguere neſcii conatus vrgent, & continuant infantes, incaſſum licet, premunt, & ſæpe hinc exprimunt.

Et quidem quoad vterum exempti ſunt infantes, cuius ſtrangulationi & hyſteromaniæ v. g. vel hyſteralgiæ quoque idem affectus ſub alio nomine competit, illuſtrat tamen & hæc ſingula.

Vtro-

Vtrobiuis eſt tenſio, in teneſmo quidem ſpecialis dicta intenſa, & conſiſtens adhuc; in ani procidentia producta, in longum & ad extra præcipue, idque hinc cum laxatione tenſiua, vel tenſione laxata ipſarum fibrarum, & linearum muſcularium, vt ita loquamur.

Oriuntur hæc omnia & ſingula præcipue a niſu continuato, ab intertrigine dolorifica, a calculo, & a diarrhœa, & maxime dyſenteria, & bile acri, acidoque exſtimulantibus, quibus ipſa etiam opponenda congrua e contrario remedia. Tacemus hoc loco teneſmum hæmorrhoidalem, vtpote ordinarie in infantibus minus occurrentem & reperiundum.

Curatio quidem in vtrisque quædam communis eſt, magis tamen diſtincte attendi meretur. Sic in teneſmo ſenſus pruriens & ad deſidendum impellens demulcendus eſt, ſtimulans materia, ſeu priuatiue, a nimis deterſo muco defenſiuo, ſeu poſitiue maxime blande educenda vel corrigenda & ſupplenda eſt, pars vero ipſa affecta roboranda.

Itaque ſi alui fluxus præceſſerit, vel adſit, huic principali proſpiciendum eſt, per iam dicta, ſuggerenda mucilaginoſa, incraſſantia & incerantia, vitellum oui coctum ad duritiem, iuſcula auenacea, pultacea, panacea, roborantia, anodyna e ſuis fontibus.

Clyſteres ipſi ad intertriginem hanc interiorem ex eodem iuſculo auenaceo, vel lacte quoque cum vitello oui, oleo maſtichino aliquando locum habent. Fotus item ex rad. malu. ſymph. v. g. a. ℥ß. herb. & flor. verbaſci, agrim. parid. chamom. a. mß. flor. hyperic. melilot. pap. rhœad. a. p. ij. ſem. lin. conquaſſ. ℥vj. croc. ℈ß. M. formandis inde & partiendis ſacculis, calide applicandis cum lacte coctis.

Minus vero hic locum habent ſalia, vel ſuppoſitoria,

etiam ex ipſo opio a quibusdam commendata. Potiora ſunt coniuncta interius mucilaginoſa in receſſu, roborantia & traumatica, in producto præcipue malo.

℞ pellicul. ventric. gallin. bol. armen. ppt.
terr. Iapon. lap. hæmat. a. ℈j.
magiſt. anodyn. gr. v. M.

℞ eſſent. traumat. theriac. balſam. a. ʒß. anod. gtt. vj. M.

Exterius vero porro, pro litu, cum linteaminibus concerptis.

℞ ol. ouor. rec. momordic. vel ophiogloſſ. a. ʒj. M.

℞ ſuffiment. de verbaſc. Mynſ. ʒij.
gum. anim. maſtich. iuniper. a. ℈ij. M. pro ſuffitu.

Ipſa vero ani procidentia in infantibus ex eadem fit cauſa alui fluxuum, vel ſola etiam preſſione ab eiusdem adſtrictione, non tamen facile infra annum hos duos affectus in iisdem videas. Cognoſcitur eadem ex protuberantia inteſtini extremi, & quidem in longum ſaltim, inuerſam enim aluum ſimul, wie umgeſtülpt/ cum maiori amplitudine media & tenſione laterali in hac ætate nondum, vt in adultis, vidimus.

Fitque fibris circularibus laudatis ex ordine dimotis, a quocunque demum ſtimulo id fiat, & magis vel minus inæqualiter extrorſum dilatatis, indeque facile flaccidioribus redditis, communi a peritonæo deriuata membrana preſſionem magis dirigente.

Curandum hinc omni modo eſt, vt debita repoſitio fiat, idque mature, ne mora præcluſi inteſtini tumor, dolor, inflammatio ipſa ſuccedat, ac periculum inferat. Quamobrem non tam preſſione directa opus eſt, vel inſeſſus in aſſerem, vel locum durum, vtcunque habentem, etiam læuigatum, ſed vt fibræ tenſæ & anguſtatæ viæ laxentur & demulceantur.

Opti-

Optimum hinc eſt, vt vel ſoli flores chamomillæ, vel ſemen lini conquaſſatum, vel maiori apparatu ſacculi ex emollientibus pluribus cum lacte cocti applicentur calide; ita enim breui poſt, data aliqua mora, citra violentiam nociuam facile quaſi ſponte fit contractio, & retractus in locum priſtinum.

Faciunt huc, præter dicta, in adultis paulo etiam ſaliuæ ſolius inunctio cum digito; inſperſio item puluilli ex C. C. vſto & maſtiche ſubtiliſſime pulueriſatis, per incerniculum ſericinum, ad firmitudinem reparandam, quo nomine ab *Hartmanno*, inſtar experimenti, puluis ſcarabæorum e fimo equino aſperſus commendatur.

Quod ſi conſilium aſſequi per ætatem queant, asſuefaciendi eo caſu, vt minori niſu ſtantes magis aluum deponere addiſcant, minori ſic quoque reddito exitu; non omisſis ſuffitibus laudatis & aliis. Hi enim ſiccant fibrillas & blandius afficiunt, ac roborant, adeoque optime præcauent recidiuam, vt & emplaſtra roborantia ipſa.

℞ rad. ſymph. ℥j. herb. agrimon. conſol. min. verbaſc.
fl. chamom. melilot. a. m ß. ocul. popul. p. ij. vel iij.
gum. maſtich. thur. elect. a. ʒiß.
ſem. lin. conquaſ. ℥ß. M.

Aluminoſa vero rectius omittuntur.

℞ blatt. byzant. colophon. maſtich.
gum. anim. aſphalt. a. ʒj. Cont. g. m. D. pro ſuffitu.

℞ empl. de maſtich. ℥j. vngu. ſumach. ℥ß.
vel q. ſ. ad malaxandum. M. F. l. a. Malagma.

Tacemus vtroque caſu olea carminatiua etiam ad vmbilicum, abdomen & dorſum applicari poſſe, ad affluxum arcendum, & nerueas fibras ipſumque peritonæum roborandum.

In adultis aliquid etiam ab illa tenſione inſtar candulæ remanet facile extus, vnde & hoc loco radix telephii in ſacculo appenſa inſigniſſimi eſt vſus, ad temperandos ſtimulos acriores lymphæ.

Coronidem addunt in illis faſciæ cum ſuis ſpleniis, annulis, & aliis, in quibus non minus ac circulatione ſanguinis reperiunda felix fuit *Paul. Sarpius. Vid.* eius vita, & *Rhodius cent. 2. obſ. 94.* reuera enim hæmorrhoides cæcæ tandem fatiſcunt in ani procidentiam, ceteroqui neutiquam confundendæ.

CAPVT XXVII,

DE

Singultu & vomitu.

LIcet ſingultus immaterialis magis, vomitus cum materiæ excretione fiat; ſunt tamen affines & ſymbolici affectus. In vtrisque probe attendendum itidem, an ab errore externo fiant, an a facultate læſa.

Ita maxime iidem fiunt ab aere frigido, ſeu a nutrice ipſa admiſſo, quod lac flatuoſum reddit, ſeu infante, quoad caput præcipue, nondum firmato bregmate, ſeu fontanella, quoad ventriculum, pedes, & totum corpus, munienda ſtatim probe.

Et vomitus quidem crebriores *3. aph. 24.* & ipſi quidem a largiori potu, v. g. frigido, vel cibo hinc, ἐνέμετοι enim ſunt; ipſe vero vomitus, vt ſingultus quoque *6. aph. 33.* a repletione minus, ab inanitione magis periculoſus. Faciunt ad vomitum etiam pinguia, oleoſa, flatulenta, & alia. Ab irritatione

vero vel ſingultus a piperis eſu, vino deſuper hauſto, demonſtrat, teſte *Galeno 6. aph. comment. 39.*

Vtrobique attendendum eſt aliquid ſpaſmodici, vellicantis, irritatiui. Et ſingultus quidem proprie dictus primario a ventriculo, ſecundario a diaphragmate conquaſſato oboritur.

Tria enim hoc loco notanda quoque, pertinere ſcilicet huc (1) concuſſionem quaſi ſingultuoſam, in infantibus a ploratu fortiori, Germ. der Bock ſtößt einen vulgo, vbi contra ea diaphragma primario, ventriculus ſecundario afficitur; (2) aliquando etiam ſingultum præcedere vomitum, vel coniungi quoque ac ſequi, quod malum eſt; (3) fieri idem, licet rarius paulo, a depreſſione, vel eleuatione, quadam præternaturali cartilaginis mucronatæ ſeu enſiformis, quo de *Ludouicus Septalius & Codronchius* ſcripſere, quamuis *Caſparus Hoffmannus Patholog. paru. cap. 28.* procidere plane non poſſe ſcribat; cum a compreſſione thoracis vertebræ vndecimæ idem notarit *Rhodius cent. 2. obſ. 61.*

Sic & a diarrhœa, & hæmorrhagiis, ipſaque epilepſia malus eſt ſingultus. Vomitus vero etiam a tuſſi, a variolis imminentibus, a lapſu in caput, a dentitione ipſa &c. non raro accidit, maioris momenti, ſi vrgeat, alioqui etiam infantibus non inutilis, niſi diu duret.

Vti itaque a repletione oriundus ſingultus vel ructu exploſa elaſticitate ſpaſmodica, vel vomitu etiam leni procurato vel adiuto, & aliis cauſis externis ablatis, ac lacte correcto, breui ceſſat; ita alterando, roborando, & cauſas reliquas attendendo vomitui ſuccurrere oportet, ne neglectu atrophia, aliaque ſymptomata conſequantur.

℞ rad. ipecac. rhab. elect. a. gr. iij.
ol. aniſ. gtt. ß. M.

℞ elix. propriet. rubr.
eſſent. carmin. aromat. a. ℈ß. vel j. anod. gtt. iij. M.

Doſis gtt. IV. V. VI. pro modulo annorum ætatis, vtrique enim conuenit affectui.

℞ eſſent. theriac. balſam. tinct. bez. a. ℈j. ʒß.
anodyn. gtt. iv. caſtor.
ſpirit. ſal. ammon. aniſ. a. gtt. v. M.

℞ pulu. ſtyptic. rubr. lap. de Goa a. ℈ß.
corn. ceru. vſt. gr. v. magiſt. anod. gr. ij.
ol. citri ver. gtt. j. M.

Vt vero vomitui magis roborantia, ita ſingultui ſeorſim neruina, cinnabarina, caſtorina, theriacalia & carminatiua, extra febrim, & præcipitantia vtriſque conueniunt, nutrici vero oleum fœnic. ad gtt. iv. v. & alia debita propinanda.

℞ pulu. epil. March. corall. rubr.
ſtypt. ſtom. ♁ nat. a. ℈ß.
ol. citr. ver. gtt. j. ther. cœl. gr. j.
vel mag. anod. gr. iij. M. F. pulu.

Aliquando & potiunculæ locum habent:

℞ aqu. cinnam. cydon. menth. ſ. v. a. ℥j.
ebor. ſine igne, C. C. vſt. præp.
corall. rubr. pulu. a. gr. vj.
theriac. cœl. gr. ij. M.

Sin febris adſit, magis ad bezoardica ſimul reſpiciendum, vt in tuſſi ad pectoralia, in vermibus ad anthelmintica, in dentitione ad conuulſiones, vbiuis vero anodyna colophonem addunt. Ita cum variolæ imminerent, vrgente vomitu

in

in puello, non potuimus ſuccurrere, niſi pilula minuta ex extr. anod. vnde vtrique ſcopo ſatisfiebat.

Vti vero externis ſolis non vtendum, ita omnino ſuccenturianda internis balſama, vnguenta, emplaſtra & cataplasmata, ſcrobiculo cordis & vmbilico applicanda, non ſine deligatione abdominis, cumprimis in ſingultu.

℞ ol. maſtichin. ʒiß. vel ij. calam. arom.
menth. macis a. gtt. iij.
petr. alb. gtt. vj. M.

℞ ol. paregor. ʒij. carmin. Mynſ. gtt. vj. M.

℞ ol. calam. arom. menth. fœnic. ſuccin. a. gtt. iij.
nuciſt. expr. ℈j. M.

quibus, vt & emplaſtris, tanto magis inſiſtendum, quanto ægrius admittunt interna.

Balſama item ſtomachica hæc illinenda ſcrobiculo cordis infantibus, quam in adultis, ob teneritudinem harum partium, eo magis proficua.

℞ theriac. Androm. ʒij. ol. nuciſt. expr. ʒj.
ol. ſchœnanth. gtt. iij. balſam. Peruu. ℈ß. M.

℞ emplaſt. de cruſt pan. ℥ß.
extract. ladan. ℈ß. theriac. ʒß.
ol. nuciſt. expreſſ. ℈j. caſtorin. q. ſ. M. F. emplaſt.

Sic & panis toſtus cum nuce moſchata potui indi poteſt, ſaltim nutricis. Aromata item vt macis, caryophyll. cardamom. cum fermento & aceto, vel pane bis cocto & ſpiritu maſtich. inter duo linteamina imponi, excepto caſu inſtantium variolarum. Cum enim humida hæc repellant, & anxietatem pariant facile, conſultius omittuntur, vti & oleoſa cautius tunc applicanda. Idem dicendum de ſpiritu theriacali, vel pane

toſto cum ſpir. menthæ plantis pedum imponendo intelligendum quoque.

Tacemus ſacculos ſtomachicos & paregoricos ex rad. calam. aromat. zedoar. herb. menth. criſp. agerat. ſummit. aneth. flor. chamom. aromatibus, ſem. carui &c. addito caſtorii & camphoræ parum, aliisque, qualia de diarrhœa iam dicta ſunt, vt & hypochondriis & aliis conuenientia.

CAPVT XXVIII.

DE

Vigiliis infantum.

NIl magis incongruum infantibus, quam ſomni defectus, vt ſenibus contra ea exceſſus magis ſuſpectus, quod temperamento humidiori & toti naturæ ſit inconueniens, vt ſignum, & vt cauſa, variorum ſymptomatum; par ratio eſt ſomni inquieti.

Enimuero accidunt vel a cauſis externis inquietudinem cauſantibus in delicati ſenſus corpuſculo, vel vitio lactis, vel dependentes aliunde a morboſo ſtatu quocunque, vnde ſpiritus turbantur, & componi renuunt, poris plus iuſto hiantibus, vnde deliria & conuulſiones metuendæ.

Sic intemperatus aer, defectus ſilentii debiti, & munditiei neceſſariæ, vnde intertrigo & plumarum eminentia, ſtramina & alia obiecta inæqualia externa, reſpicienda, inquirenda, euitanda, & mature remouenda.

Si lac ſit parcius inprimis, vel copioſius, feruidius, bilioſum, flatulentum, annoſius, aquoſius &c. vel ob errorem exter-

num

num frigoris, cereuiſiæ recentis vel acidioris, mutatæ, vel quacunque culpa nutricis, (ſtatim enim id ſentiunt infantes,) & huic proſpiciendum eſt, mutando eius diætam, propinando carminatiua, & renouatiua. Sin euidens id ſit ab effectu, & ſuctu alius, nec aliter curabile, etiam aliud adſciſcendum.

Sin foueantur a morbo alio, torminibus clamoſis, febri, dentitione, aluo laxiori, vel ſtrictiori, tuſſi, flatibus, cruditatibus acidis, bilioſis, lacte corrupto, hypercatharſi, etiam a nutrice citata, ſeu ipſius nutricis cacochymicæ, vel alias male habentis culpa, ſeu aliis quoque circumſtantiis, hæc ſingula attendenda quam maxime.

Adeoque vtroque nomine & morbi, cuiuscunque comitati, & vrgentiæ communi ſatisfaciendum, acidum inuertendum, præcipitantibus, ſpiritus turbati eorumque & humorum motus inquietus componendi, non omiſſis neruinis, maxime cinnabarinis & anodynis.

Ita nempe & vno oculo ad vigilias, altero vero ad dolores, &, ſi hi ſilentes ſint, ad alias cauſas reſpiciendo, vtrisque licet ſatisfacere, & recta via in methodo medendi procedere.

Sic vigilias hasce arcent ipſa purgantia, non ſolum priuatiue, diuertentia, disiicientia & auferentia fomitem, ſed & blanda ſua reſinoſitate ſulphurea poros opplendo.

Hæc ipſa etiam ſic eligenda, ſi primæ viæ non ſint liberæ, ſed inquinatæ, ſi bilioſa amurca obſeſſæ, ſi cruditatibus & flatibus ſcateant, vel verminoſo etiam fermento.

Ita enim viſi ſunt, vix aſſumta v. g. gialapæ commoda doſi, mox indormiuiſſe, prius, quam operata fuerit vel vnam ſedem. Idem ab aliis de aloe ipſa obſeruatum eſt, modo a variolis imminentibus vel aliis nulla adſit contraindicatio.

℞ rhab. el. gr. iij. cinnab. nat. gr. j.
ol. aniſ. parum M.

Et cinnabarina hæc tum coniunctim, tum ſeorſim per ſe medentur apprime vigiliis, ob ſulphur ſerenans ſpiritus, mercurium fundentem & reſoluentem humores, vtraque ſibi illigata tutiſſima, & ſpaſmodicis quibusuis accidentibus debita confortatiua.

Memoranda item & hic teſtacea, aliaque præcipitantia, acidi & auſteri præſidia, & inter hæc lenia bezoardica. Sic conchæ præparatæ ad ℈ß. quoque in infantibus vel amplius dari poſſunt in vigiliis, ſed ſola non æque omne abſoluunt punctum. Præcipue vero colophonem, & pondus ſingulis fœnerantur anodyna.

Non vero tamen huc faciunt emulſiones ex ſem. papau. & aliis receptis, ſiquidem, vt ad ſingultum, vomitus, & alui fluxus ipſos &c. ita & vigilias inprimis, hæ ipſæ infantibus minus conueniunt: facile enim aceſcunt & inflant magis, niſi ſint adultiores paulo, & humectatione indigeant.

Non item interius, commendatam licet a quibusdam, facile ſolemus mandragoram eligere, v. g. decoctam cum vino propinare, qui opiata reformidant, & hanc potius cordi habent. Vti enim horum, vt & papaueris ipſius emulſio, decoctum &c. in abuſum cedere poteſt, ita idem fruſtra ad infringendum vſum quicquam facit, quin ſint tutiſſima & hoc loco, modo rite vtentem inuenerint.

Ita ſæpe vna fidelia duos licet dealbare parietes, vigilias & horum cauſas tollere, magiſterio anodyno vel ſolo, ſaccharino, vel quocunque demum modo parato, & variato puluere anodyno,

℞ ma-

℞ magiſt. anod. ſpecif. cephal. a. gr. iij. M.
℞ C. C. philoſ. cinnab. nat.
pulu. bez. conchar. præpar. a. gr. iij.
extr. anodyn. punct. iij. vel iv. M.

Par ratio eſt theriacæ ipſius, vel ſolius etiam vulgo, vel conſimili modo in puluillum remixtæ, ad gr. j. v. g. pro doſi, cum vel ſine tantillo olei appropriati. Hæc ipſa in minima doſi plus præſtant, quam papaueracea alia largiori.

Cumque vigiliæ infantum magis ſint conſenſuales, quam eſſentiales, facile fuerit ſubiectum cauſæ, & fomitem, vel ex toto, vel ex cruditatibus ventriculi, acidis inprimis, vel aliunde deriuare, & eidem proſpicere.

Adiuuant hoc fine adhibita etiam externa. Sic illini poteſt temporibus theriaca, vnguent. alabaſtr. populn. cum oleo nuc. moſch. expreſſ. &c.

℞ vngu. populn. ℥ij. alabaſtr. ℥j.
theriac. ℈ß. croc. gr. ij. M.

Lotiones etiam pedum cum ſummit. abſinth. & ocul. popul. cum vino coct. addito ſalis communis parum, vtiles ſunt, rariores capitis. Abſinthium ipſum etiam cunis vtiliter imponitur. Suffitus culcitrarum, cunarum ex eodem, ex ſideritide, ruga, aliisque, citra ſuperſtitionem vllam, (quorſum pertinet ſtramen coronæ, cui inter balneandum capite incubuere) non ſunt de nihilo.

Motus ipſe cunarum debitus inuitat ſomnum, qui triplex eſt, (1) lateralis ad dextram & ſiniſtram, (2) ſus & de reſpectu capitis & pedum, qui minus commodus & ſalubris, & (3) pendulus, Hangewiegen/ æquabilis magis, & optimus fere, inprimis chordis paulo longioribus conſtans.

Accedit (4) motus curulis, cum rotis ſuis hinc inde horſum

ſum vorſum flectendo, & (5) geſtatio ſub pallio, reclinando caput infantis ad collum nutricis; vt taceamus cantillationes, aliaque domeſtica, vt croci triti cum lacte materno illinitionem ad tempora &c.

Minus vero decoctum papau. laudatum vel radic. hyoſc. &c. etiamſi cum vino factum, capiti applicandum.

Quod ſi contra ea nimis dormiant, ſeu a theriacæ largiori paulo vſu, vt factum nouimus in pharmacopolio, ſeu eſſentiæ anodynæ, proſunt caſtorina & volatilia, interius v. g.

℞ liqu. cephal. ℈j. eſſent. caſtor. ℈ß.
mixt. ſimpl. rectif. gtt. vj. M.

Exterius ℞ ſpir. formic. volat. lil. conuall.
rutæ vrinoſor. a. ℈ß. M.

pro odoratu continuando prouide.

CAPVT XXIX.

DE

Δυσηκοΐα, *ſurditate, fluore aurium, & tinnitu.*

Seorſim non raro aurium œconomia in infantibus ſuos patitur manes. Principale vitium eſt ſurditas connata, quandoquidem nec audiunt omnino, nec loqui hinc diſcunt, quod vix attendere licet, quam a poſteriori, ſenſu hoc ad obiecta ſonora quæuis non reſpondente.

Adæquatum magis δυσηκοΐα, ſeu gradu minori ſurditas eſt ſymptomatica, non plenaria, reſpectu prioris, quaſi eſſentialis

tialis, magis, conſectaria: ſcilicet magis ad prægreſſos alios morbos laudandos, vel quoscunque indefinite eueniens.

Vt enim omnium quaſi in ſummam contrahamus ideam cauſarum, vel in neruis ſeu ſpiritibus hærent hæc vitia, obſtructis, vnde nullus fit reſonitus, vel perceptio, nec conſequenter iudicatio: ſeu mobili obſtructione, ſeu minus, deſperato fere malo, ſaltim a medicamentis minus ſubiugabili.

Vel in lympha, ichoreſcente & acrimoniam exitumque ſæpe cum putrilagine quadam etiam fœtorem concipiente, vel in cauſis aliis, communibus, & propriis, illis huc regurgitantibus vndecunque, his proprio & domeſtico vitio, vti & plura huius organi ſymbolica ſunt vitia, altero ex altero facile conſectario, & fibris nerueis ipſis inſinuato.

Adeoque hæc fiunt vel manifeſta magis cauſa, ab extra vel intra oriunda, cum ſignis cuiuis propriis. Sin affluxus fiat cum ῥευματισμῷ, ſeu inflammatione partium delicatiorum, vt in ὀταλγίᾳ, coniungitur febris, calor, dolor, pauor, ob doloris acutiem, etiam cum rubore aliquando, vel tumore aliquo.

Et hæc in infantibus nunquam negligenda, inprimis, ſi ſcorbutica lympha vel iamdum ſit in cauſa, ſeu talis poſtliminio fiat. Faciunt nempe huc, quæcunque cerebro & capiti fœnerari intemperiem, debilitatem elateris, & turbationem elaſticam aeream, vel ſeroſam peregrinam queunt, ſeu conſtanti perpetuo & vniformi hinc malo, ſeu temporario, interpolato, ceſſante, tempore hiemali vel æſtiuo; pro lunæ etiam phaſibus ipſis diuerſis.

Rarius paulo etiam a lue Venerea occulta (qua nec infantes exempti) a febri præuia, ab erroribus externis, idem accidit, ne verminoſam putredinem ipſam laudemus. Di-

ſtinguendum vero ſemper, an integræ mentis functiones aliæ ſaluæ ſiat; quidam enim ab infantia ſtatim viſi ſunt partim ſtupidi ac amentes plane; partim ſimpliciores, & ſic ægrius curandi, vel deſperati plane.

Sic cum in puella quinque annorum ex dextra aure aqua limpida exiiſſet, anno vertente idem rediit, materia albida emanante quotidie mane ad quatuor fere excipula minora per diem cum ſurditate illius lateris: Sic cum alius ſex annorum cecidiſſet in caput, aliquot diebus poſt auditus ablatus reſtitit, procul dubio confuſione ſpirituum & extrauaſatione lymphæ minimum facta.

Conferunt ergo huc interius reſpectiue, præter vniuerſalia purgantia &c. anthypochondriaca, neruina, carminatiua, paregorica, anodyna, laxantia, diuertentia, antiſcorbutica &c. Nunquam enim intemperies humida, ſeu ichor, madorque negligenda, periculum enim eſt, ne auditus inde patiatur labem. In omni vero dolore & febri coniuncta cum inflammatione diaphoretica optima ſunt; minus tamen ad ſudorem cogendo corpora tenella, ſed vt difflatio ſaltim promoueatur.

℞ eſſent. ſuccin. lignor. caſtor. a. ℈j.
tinct. bezoard. ʒß. anod. gtt. v. M.

℞ tinct. bez. ſpir. vitriol. cephal.
mixtur. ſimpl. a. ℈j. eſſent. anod. gtt. vij. M.

℞ cinnab. nat. corall. rub. præpar.
ſapphir. occ. præpar. pulu. epil. March.
antimon. diaphor. ſuccin. alb. præp. a. ℈ß. M.

addendo facile anodyno, ſi indicetur, cinnabarina enim in aurium affectibus in genere, antimon. diaphoret. & ſuccinata in ichoreſcentia quauis lymphæ ſunt optima.

℞ pulu.

℞ pulu. aperit. cinnabarin. ℈ij.
ſuccin. alb. præp. antimon. diaph. a. ℈ß.
ol. lign. ſaſſafr. gtt. ij. M.
℞ elix. cephal. eſſent. carmin. a. ʒß.
eſſent. caſtor. ℈ß. ſpir. ſal. ammon. aniſ. gtt. v. M.
℞ tinct. mart. helleb. ʒj. liqu. cephal.
liqu. corn. ceru. ſuccin. a. ℈ß. M.

Externa his ſuccenturianda, non vero niſi parcius & prouide, nec ſola, cauendo inprimis, ne crebriori vſu, inprimis humidiorum, fotuum, ſacculorum, decoctorum, intemperiem augeamus, elaterem laxando & debilitando, cum humidiora minus ſonent, ne calida, frigida, ne acria, viſcida, aquea, anodyna applicentur &c.

Ex his euporiſta paregorica ſunt lac muliebre, ſeu maternum calide moderate immiſſum, quod temperat & emollit; oleum item amygd. dulc. vel amar. recens & ſine igne expreſſum, ipſorumque nucleorum perſicorum, quæque alia emolliendi, demulcendi & roborandi vſu pollent.

℞ ſpir. apoplect. ol. amygd. amar. a. gtt. vij. x.
ol. caru. aniſ. veror. a. gtt. ij.
eſſent. caſtor. gtt. v. moſchi (pro re nata) gr. j. M.
℞ aqu. acouiſtic. Minder. ʒj.
eſſent. ad audit. Michael. ʒß. M.

Vſus horum eſt, vt ſemel vel bis de die cum bombace immittatur guttula vna vel altera in aurem affectam; nonnunquam etiam inſtillentur, ſed tepide, ſeu moderate calide, inflectendo caput in latus oppoſitum.

In adultioribus conſulto fit vna tunc temporis maſticatio cubebarum, vel maſtiches granulatæ. Hinc etiam, vel ſeorſim quoque ante topica hæc, vel poſt illa, ſuffitus ſunt opti-

mi, præſertim in humidiori intemperie ad exſiccandum, roborandum, aperiendum; cum vel ſine tritorio.

℞ farin. fabar. lupinor.
maſtich. elect. thur.
gumm. anim. iunip. thymiam.
blatt. Byzant. a. ℨj. M. F. l. a. pulu.

Seorſim & caput tutandum, defendendo, maxime a frigore, quorſum & ad integumenta eiusdem & colli ſuffienda ſpectant, ſuffitus ex gummi animæ, & ſuccini, mane & veſperi. Pone aures quoque illini ſpirituoſa illa & oleoſa queunt, ſed optime prius conquaſſata.

Oleum vero acouiſticum Mynſ. maioris paulo eſt apparatus. Sin vlcus, fœtor & ichor maior adſit, mel roſat. vel eſſent. ſabin. quoque locum habet.

℞ eſſent. ſabin. caſtor. a. ℈ß.
ol. aniſ. caru. a. gtt. ij. M.

Idem valet de vermibus, vbi, & in genere quoque, fel leporis commendatur. *vid. Ferrar. lib. 3. cap. 24.*

Fotus humidi magis conueniunt, ſi a conquaſſatione cerebri, a caſu, malum prouenerit, vt & quando otalgia adeſt.

℞ rad. ir. Florent. pæon. a. ℥ß.
herb. beton. mj. verben. roſmar. ſalu.
fl. ſtœchat. Arab. a. mß. perſic.
lil. conuall. paralyſ. a. p. ij.
bacc. laur. ℨß. maſtich. el. ℨij.
thur. cubeb. a. ℨj.
C. C. gr. m. D. in ch.
S. ſpecies pro ſacculis cum vino, vel lacte reſpectiue.

In neutris præuaricandum ob partis delicatam texturam, ſeu

ſeu frequentiori, ſeu rigidiori vſu, ne elater debilitetur magis. Minus fere his in caſibus proſunt veſicatoria, præterquam in ichoreſcentia maiori.

Quod ſi a rachitide, a cacochymia ſeroſa, fermento venereo, vel aliis foueatur malum, optima & neceſſaria quoque ſunt purgantia.

℞ mechoac. alb. rhab. el. a. gr. jv.
cinnab. nat. gr. ij. mercur. dulc. gr. j.
ol. lign. ſaſſafr. gtt. j. M.

Cauenda vero ſunt frigida, auribus inimica, oleracea etiam & fructus æſtiui. Sordes etiam non tantum in maſſa ſanguinea accumulatæ, ſed & in auribus ipſis, & capite, ne abundent, curandum.

Quod ſi ſtupor epilepticus, ſi caſus ab alto in caput anſam dederit, hinc & alias, non ſolum auribus acclamandum fortius, ſed & ſuper bregma ſermo formandus, quod in puero quatuor annorum iuſſimus repeti cum ſucceſſu. Ibi enim & concurſus eſt ſuturarum, & ſic diffundi poteſt deſuper magis æther ſonorus, vt ita loquar, per poros, fontanella etiam ipſa magis hiante.

Sin cum ſurditate *ἀναυδία*, ſeu loquendi impotentia adſit, & cæteroqui ſenſus interni, aliique illæſi ac integri ſint, arte & induſtria opus eſt ſedula & continuata, vt illa reſtitui & ſuppleri poſſit vitium, & ſcribere ac loqui diſcant, qualia exempla omnino fuere obſeruata. Videri de his latius poſſunt *Helmontius jun. Ephemer. German. an. 1. dec. 1. Walliſius, & Ammannus Heluetius*, qui ex profeſſo id præſtiterunt, & modum deſcribunt vbertim. Succedit idem magis in iunioribus & prudentioribus, ac obſequis.

CAPVT XXX.

DE

De obeſitate & atrophia.

RArior quidem obuenit in infantibus obeſitas, ſeu habitus quaſi athleticus, quam atrophia, nec illa tamen negligenda. Et ſolent quidem parentes ſibi blandiri, & gaudere de habitiori corpore, ſed reuera debent & illi ſuſpecta habere bona ſua.

Enimuero improportio illa, habitus plenior reſpectu ætatis, ἐυεξία, & perículoſa eſt, elogio *1. aph. 3.* vti in adultis, ita longe magis in infantibus. Oriunda ſcilicet e ſtatu lactis, & conſequenter lymphæ, magis oleoſo, cui niſi ſuccurratur mature, tum epilepſia, tum ſuffocatio & mors finem facit, teſte, præter *Philoſophum, Timæo in obſeru.* & experientia quoque noſtra.

Vnicum fere & optimum huius remedium eſt, ablactatio matura, alioqui & dentitione tardiori & periculoſiori timenda. Poſt ea vero velut ordinarie ſpongioſiores carnes flaccеſcunt paullo, das Milch-Fleiſch fällt weg / &, ſi perſtet idem habitus, nitroſis, aliisque etiam proſpici poteſt.

℞ nitr. triplic. ℈j. cinnab. nat. ℈ß. M.

Et ſic ducimur ad ſtatum contrarium, longe frequentiorem, atrophiam infantum, quæ tamen ſua gaudet latitudine. Enimuero & in infantibus tum ſpecies eiusdem ſunt attendendæ, tum cauſæ præcipue, ſigna etiam facilius patent ſenſibus obuia, non ſine viribus animalibus imminutis.

Eſt

Eſt vero eadem vel vniuerſalis, toto corpore viſenda: vel particularis, in hac vel illa parte vel latere. Reſpicit enim nutrimentum ſeu augmentum corporis impeditum; nutritio ſupplet, auctio complet, illamque ſupponit. Illa atrophia ſpecialis audit, vel tabes Latinis, ſeu macies; hæc aridura.

Porro viſendum, vtrum ſit primaria, an ſymptomatica. Illa ſibi magis relicta, & citra morbum alium præuium; hæc conſequa magis eſt. Datur quidem & comitata in infantibus cum tuſſi purulenta, & hectica vnita, quæ phthiſis proprie dicta eſt, ſed rarius, & reuera tamen occurrit etiam in infantibus.

Macies ſecundum *Syluium*, & tabes etiam gradu diſtingui poſſnnt, illam vocando, quando pinguedo ſolummodo conſumitur, & non reparatur; tabes quando fibræ carneæ imminuuntur, nec iterum caro pulpoſa reſtituitur, vel augetur.

Duplex hic attendenda anomalia, partim in ſolidis, partim in mollibus partibus. Cum enim oſſa præbeant corpori longitudinem, hinc inferiora quidem, v. g. in gibboſis elongantur, ſuperiora vero, ſeu vertebræ dorſi, ſeu ventris medii anguſtantur, & improportionate ſic fit incrementum. Cum carnes præbeant latitudinem & profunditatem, in ipſa infantum atrophia corporis reliqui videndum ſemper, an abdomen intumeſcat vberius, vel etiam aliquando pars alia, vt in tumore femoris vidimus in puello, & aliis.

Fit ergo atrophia & producitur v. g. in aliis a gibbere, primo latente, hinc emicante magis, in aliis a paralyſi, particulari ſaltim, a luxatione item, v. g. coxæ, a vermibus, & crinonibus, de quo mox, a rachitide, obſtructionibus meſenterii, non rite diſtributo chylo per

tu-

tubulos lacteos, ab hypercatharſi, a febribus, & morbis aliis.

In quibusdam etiam de fermento Venereo cogitandum eſt aliquando, imo & de connata debilitate, inprimis ſi fœtus fuerit minus maturus editus, vel ſeptimeſtris, & alias quoque, vbi mora & expectatione longiori opus eſt, vt taceamus contracturam, & alia coniuncta.

Facilior curatu eſt a cauſa poſitiua oriunda, quam priuatiua, vti a ſudationibus puerilibus annis imperatis obſeruauimus factam in quodam medico. Speciatim vero frequenter admodum duæ velut ſpecies atrophiæ laudantur a vulgo, macies ſcilicet a faſcino, beruffen vocant, & a dracunculis ſeu comedonibus, quos & crinones quidam vocant Germ. Mitesser &c.

Quod prius attinet, etiam in hoc vltra vulgus ſapere debet medicus, ne aſſentiat facile; neque curam tamen reſpuat, vel deneget, inde enim abeunt ad vetulas, ſagasue; vel omne temere neget.

Satis eſt omnes inquirere cauſas alias, iisque ſatisfacere, ſaltim ſimul, nam morbi quoque a faſcino remediis naturalibus curari poſſunt, cum dæmon non agat ſupra naturam.

Alterum partim obſtructioni & oppletioni pororum cutaneorum, & transſpirationi ſic prohibitæ, partim ſeminio animato adſcribendum, neutrubique negligendo, vel omittendo cauſas reliquas.

Cum itaque ſuccus nutritius partium deficiens reparandus ſit, nerui reſerandi & roborandi, cumprimis vero obſtructiones glandularum & tubulorum chyliferorum, viſcedo, acidum, & remoræ aliæ tollendæ ſint, in hoc omnis ſeu præcipua cura ponenda, coniunctis, quæ morbis ſingulis cauſantibus

tibus ſeorſim e ſuis loculis debentur. Niſi enim infimus venter ſeu prima culina reſpiciatur, fruſtra ſunt fere omnia alia.

Niſi itaque quid vrgeat, vt ab addephagia repletio maior, in atrophia, vt tali, nec purgantia, nec vomitoria conueniunt, ſed iuuando ventriculo, & obſtructioni meſenterii, lactisque vitiis auferendis vnice inuigilandum; per aperientia & temperantia, ſimul roborantia; per mutationem pro re nata nutricis, in lactentibus ſcilicet.

℞ tinct. mart. cydon. ʒj. corall. ℈ß.
arcan. tartar. ℈j. M.

℞ aqu. ſummit. abiet. ℥j. vel ij. liqu. mart. gtt. iij. vel iv.
arcan. tartar. ʒß. M.

℞ ſem. lycopod. perlar. ppt. a. ℈ß.
antihect. Poter. cinnab. nat.
lap. bez. de Goa a. gr. v. M. F. pulu.

℞ aqu. ſummit. pin. pulmon. vitul.
heder. arbor. a. ℥j.
M. D. in vitro S. Waſſer zum Pulver.

℞ arcan. triplic. ℈j. magiſt. perlar.
ſem. lycop. pulu. e chel. cancr.
cinnab. nat. a. gr. v. M. F. pulu.

Nitroſa hæc, & purgantia ipſa blandiora eo caſu quoque apprime iuuant, quando tumor abdominis eſt eminentior. Vti enim atrophiæ ſibi relictæ non conueniunt, quod fundant potius lympham & imminuant; ita cauſæ, obſtructioni meſenterii, & ſtaſi ſeri facile eccentrici debentur, inprimis ſi copioſiori potui, vel nocturno quoque ipſi, indulgeant, (quod ſerio interdicendum eſt) & magis turgeat aqualiculus.

℞ rhab. elect. arcan. duplic. a. gr. iv.
cinnab. nat. gr. j. ſpir. ſal. ammon. aniſ. gtt. j. M.
Vt taceamus clyſteres, & alia.

Externa quoque præſidia non omittenda, v. g. linimenta illinenda tum abdomini, tum dorſo & artubus. Abdomini quidem, quæ emolliunt, pituitam viſcidam fundunt, obſtructionibus alui ipſius medentur, aliisque, tenſioni abdominis quoque debita, additis, etiam carminatiuis, penetrantibus, quæ vtraque & vermibus vna reſiſtunt.

℞ vnguent. neruin. dialth. a. ℥ß.
ol. petr. alb. ℈ß. calam. arom. chamom. deſtill.
aniſ. a. gtt. iv. M.

Dorſo vero & partibus externis affectis humectantia, temperantia & roborantia, poroſque blande reſerantia.

℞ vngu. analept. ℥ß. pingu. human.
ol. amygd. dulc. a. ʒj. vel ij. lign. rhod. gtt. iij. M.

Adhiberi quoque vtiliter ſolent balnea, non nimis calida, ſed ratione ſemper habita virium, ventriculi & contraindicantium; in febribus enim, vomitibus, & aluo laxiori non conueniunt. Vid. de his præcipue *Strobelberg. p. 7. ſeq.*

Fieri hæc poſſunt, vt & vnguenta ipſa, vel euporiſtis ſolum, minori apparatu, v. g. ex lacte ipſo, ex decocto capitis & pedum veruecum, ruga, ſideritide, oculis populi, & inprimis muſco terreſtri clauato &c. vel maiori.

℞ herb. 5. emoll. muſc. terreſt. clauat.
abroton. antirrhin. min. c. t. ptarmicæ,
rugæ, ſiderit.
flor. hyperic.
ocul. popul. a. mj. Conc. D.

Quod ſi ex prioribus illis etiam ſuffire placeat, integumenta

menta & corpus ipſum, nec id erit de nihilo, additis etiam gummatibus, maſtiche, gummi animæ, thure &c.

Duæ vero adhuc cauſæ atrophiæ laudari ſolent in infantibus, eæque merito memorandæ, vtræque verminoſæ ſeu animatæ putredini adſcriptæ, quæ ipſa quoque negari penitus non poteſt. Et primo quidem vermis vmbilicalis, quo de hiſtoria optime deſcribitur a *B. Michaelis Diſput. de Vermibus in homine 1628. habita, ex lib. 5. Iatrei Anhaltini German.*

Signa ſunt inter alia inquietudines, clamores, vigiliæ, deiectiones virideſcentes, pulmentaceæ quaſi carneæ &c. Vmbilicus ipſe inſpici debet, etiam oculo armato, ſeu microſcopio, an ex putrilagine ſanguinis reſidui aliquid inſecti ſimile ex ouulo ſuo enati conſpici poſſit, nec ne; huius roſione membranis vmbilicalibus ſenſus triſtis, indeque oriunda ſymptomata alia inferuntur.

Curatio & proba quaſi recepta aſſignatur fundulo vel gobiti fluuiatili viuo vmbilico per noctem applicato & alligato, qui magis vel minus inde conſumptus viſitur, repetendo idem pro re nata.

Alii puluere vitri Veneti melli remixto, cum vel ſine mercurio dulci, multum tribuunt, qui tamen puluis vix necare vermes poſſe videtur, melior fuerit puluis ſabinæ, eiusque eſſentia, oleum vel decoctum quoque, cum abrotono, &c. vel ipſe puluis corallinæ remixtus potius.

Sin aloen pulueriſatam placeat miſcere cum mercur. dulc. ac butyro exceptam, ac in putamine nucis iuglandis applicare vmbilico, melius profuerit. Conſultum vero eſt, ipſas vmbilico inhærentes ſordes eluere ſpiritu vini camphorato, decocto calcis viuæ & aliis, vel attendere etiam, an interrrigino ſus ſit, vel vlceratus quoque, quod minimum modificat medicamentorum formam externam. Vel ſolum petroleum

P 2 cum

cum puluere ſabinæ mixtum, vel infuſum tritumque ſuffecerit, ſi acceſſus detur.

Deinde & comedonum ſeu crinonum mentio facienda, Mitesser vocant, ſeu dracunculorum. Vtut vero vel ſola tranſpiratio laudata, a ſordibus ſtrigoſis in dorſi poris cutaneis obſtructis impedita, ſufficere poſſit? attamen cum & ſirones ſeu acaros patiantur infantes paulo adultiores, actu animatos, vtrique cauſæ coniungi poſſunt remedia debita.

Hinc, præter dicta iam interna, & balnea & alia communia externa quædam tangenda ſunt. Sirones quidem acu ænea, leuiter cuticula perfricta, exempti crepores edunt compreſſi. Dracunculis vero, quorum vocant apices nigricantes, wie kleine ſchwartze Härchen/ vnde & crinonum nomen ortum videtur, abſterſio ſpecialis debetur. Vid. *Ettmullerus*. Facit huc, experimento *Hartmanni in praxi*, illitio pulticulæ factæ ex farina radicis bryoniæ cum lixiuio e cineribus quernis, calide applicata, in dorſo puta maxime. Ita magis dilatatis poris cum nouacula defricantur & tolluntur a balneatore, quod & repeti poteſt pro ſtatu morbi.

Alii mel cum farina calida piſtum prius applicant, & eodem hinc pacto procedunt, vt frictiones cum cruſta panis duriori paulo, vel alias, non laudemus, hinc & balneorum, & oleorum illitu continuato.

Tacemus depreſſionem cartilaginis enſiformis, & alias cauſas fouentes extraordinarias, qualis præter illam eſt, a *Zacuto Luſitano* laudatum experimentum, hiſtoria admiranda vermis piloſi, ab vſu caſtorii repetito excreti. Vnde ad ipſos vermes recenſendos deducimur.

CAPVT

CAPVT XXXI.

DE

Vermibus inteſtinorum.

SPeciatim præ aliis ætatibus infantibus familiares & frequentiſſime accidunt vermes inteſtinorum, laudati hinc quoque *Hippocrati 2. aph. 26.* Vtut vero ibi ſaltim meminerit a potiori ſeu primario lumbricorum (στρογγύλων) non excludit tamen reliquos.

Præcipue ſcilicet occurrunt in iis lumbrici teretes, rarius paulo etiam aſcarides circa anum, caſeorum vermium æmuli, rariſſime tenia, quod tamen eundem negaſſe putandum non eſt, ſiquidem expreſſe id ſcribit *lib. 4. de morb. cap. 27. text. 1.* & in vtero adhuc naſci aſſerit.

Gignuntur enim facile in infantibus & pueris, vndecunque ingeſtis, & fotis ouulis verminoſis, ab vſu lactis & lacticiniorum, fructuum æſtiuorum, dulciumque, ipſaque voracitate, ab humidiori blanda temperie, & aliis. Rarius in tenellis a primo ortu & lactentibus adhuc, vt ab ablactatione frequentius.

In aliis ἄσημοι quaſi vermes ſunt, ex improuiſo etiam v. g. excreto lumbrico per aluum, in aliis accuſantur nonnunquam abſentes, tanquam præſentes; in quampluribus tamen morbis infantum non minus ac ſuo loco & tempore dentitio ac epilepſia ſimul, quaſi locus communis cauſarum, attendendi.

Et a priori quidem difficilius argumentari de iis præſenſibus licet, vnde & non audiendi, qui in omnibus & quibus-

uis quaſi morbis infantum, vnice accuſant lumbricos, & fruſtra ſæpe curant. Et illa tamen ſigna, partim vt communia, partim vt collectiue inferentia concluſionem noſcenda ſunt.

Neque enim abdominis intumeſcentia abſolute arguit lumbricos, magis vero paulo dolores, narium pruritus vel mador quoque, & hæc, vt & nauſea, ſaliuatio oris crebra, die Würme beſeichen einen/ præſertim ieiuno ventriculo, pallor faciei, ſtridor dentium, & pauores in ſomno, ipſaque corporis macies, coniunctim ſcilicet ſpectata.

A poſteriori vero, ſeu ipſo corpore delicti, vt ita loquamur, vermibus, v.g. lumbricis, excretis vndecunque, & viſis, de iis non dubitandum, ſimul iunctis iuuantibus propinatis medicamentis. Vtraque hæc demonſtratio euidens eſt & certa ſatis.

Accidit tamen, vt & aliqui vermes extraordinarii tum in ipſis inteſtinis, tum alibi locorum excernantur viſanturque, qui quidem non faciunt regulam, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ tamen cum ordinariis ſimili methodo tractandi & curandi. Talem ſerpentulum anno 1690. ex infante trium annorum viuum excretum obtinuimus, & adhuc aſſeruamus.

Prout itaque vel primario vermes in cenſum veniunt, vel comitati, vel ſymptomatice etiam nonnunquam occurrunt, ita curandi quoque ratio paulo variat. Non parum vero confert ad ſeminium hoc variandum & multiplicandum bilis minus balſamica & iners, vt in aliis nonnunquam etiam paulo elaſtica inde & fermentifica reddita.

Sic quando febricula concurrit, cum ſapore vel odore ex ore paulo nauſeabundo, bezoardicis præcipue & alterantibus acidulis ſuccurrendum eſt:

℞ eſſent. theriac. balſam. tinct. bez. eſſentif.
liqu. corn. ceru. ſuccin. elix. propriet. a. ℈ß. M.

℞ eſſent.

℞ eſſent. ſerpent. Virg. myrrh. ſcord. a. ℈ß. M.

℞ tinct. flor. viol. vel papau. rh. cum ſpir. vitriol. philoſoph. præpar. ℥j. ſpir. nitr. dulc. gtt. iv. M.

℞ tinct. flor. pap. rh. clyſſat. ℥j.
mixtur. ſimpl. ℈ß. M.

indendis guttulis aliquot in potum non amplius lactentium.

Eodem caſu & clyſteres magis locum habent, ſeu ex ſolo lacte & ſaccharo, vel melle parati, alliciendi fine; ſeu ex amaricantibus & ordinariis aliis, non omiſſis oleis, ſingulis vermibus inimicis.

Extra febrilem ſtatum, ſi nihil obſtet, purgantia & anthelmintica præcipuum faciunt officium, inprimis ſi deliria, conuulſiones epilepticæ, aliaque grauiora coniunguntur.

Purgantia enim cum fundant pituitam, & polleant acrimonia, vel amaritie, reuera ſunt optima anthelmintica; neque ſolum enecant, ſed & enecatos educunt.

℞ rhab. el. gialap. reſin. a. gr. iij. iv. &c.
cinnab. nat. gr. ij. vel v. M.

℞ ſp. diaturb. cum rh. (in fortioribus paulo) gr. vij. vel viij.
mercur. dulc. gr. ij. ol. aurant. gtt. j. M.

Fieri etiam inde queunt rotulæ, & maiori doſi ſic dandæ. Inter anthelmintica domeſtica quaſi & ἐυπόριςα ſemen ſantonici longe optimum eſt, ſi cum lacte vel melle luna decreſcente aſſumatur, vel confectum quoque.

℞ ſerpentar. Virgin. C. C. vſt. ppt. corallin. ver.
rhab. el. arcan. tripl. a. ℈ß.
ol. rut. gtt. ij. M.

Notandum hic (1) dulcia directe, ſeu intentione ſubruendi vermes, non eſſe concedenda, niſi ineſcandi fine & fallendi, ſecus ac nonnullis eadem commendantibus viſum eſt.

(2) Fru-

(2) Fruſtra negari a quibusdam, teniam vermem eſſe, qui inteſtinorum tunicam interiorem ſeu internam expoliatam ſecerni rentur; quæ credatur hinc conuerſa in vermem oblongum duorum vel trium cubitorum, teniam dictum, ſiquidem cucurbitinos hosce vermes ſuis quaſi articulis connexos, recens excretos & lotos mobiles, reuera animatos vidimus. Vide *Riolan. Ench. Anatom.*

(3) Mercurialia eſſe vermium antidotum quoque optimum, ſeu in cinnabari tutiſſime omnium, ſeu mercurius viuus antimoniatus in infuſo, vel decocto, cum aqua graminis, tanaceti, verbenæ, hyperici &c. adhibitus, propinatus, ſeu cum ſacchari canti duplo agitatus in puluerem, ſeu in æthiope minerali, facto ex eodem cum floribus ſulphuris, ſeu in mercurio dulci detur.

In his vero, maxime poſteriori, nunquam præuaricandum, tum in doſi, non niſi minori dando, tum in præparatione, vnde triſtia exempla mortuos teſtantur.

Externa quoque his ſuccenturianda, non ſolum torminibus leniendis debita, ſed & alui laxandæ, & ipſos vermes, v. g. vmbilicalem, enecandi fine.

℞ vnguent. amar. Londin. ℥ß. (quod inſtar omnium)
ol. petr. eſſent. caſtor. a. ℈ß. M.

Inter hæc diæta velificatur maxime intentioni, quæ ſi non obſeruetur, promiſcue conceſſis variis, facile mala alia ſubnaſci poſſunt, quod cum adultis infantes habent commune.

CAPVT XXXII.

DE

Gibbere, rhachitide, curuitate membrorum.

Nihil magis reſpiciendum, præter morbos alios infantum, quam conformatio machinæ, vt bene habeat, neque quid detrimenti ſortiatur, potiſſimum in incrementi primi, ſeu nutritionis, quos vocant, annis, a quarto, quinto ad annum vsque ſeptimum.

Cum enim oſſa illam ipſam conſtituant ceu baſis, & figuram fœnerent corpori, maxime reſpicienda & tutanda ſunt, vt ςάσιν, ὀρθότητα, καὶ εἶδος, adde & flexilitatem ac mobilitatem per articulos, ſuffulciendo ſartam tectam ſeruent, & ſic non claudi, gibboſi, curui &c. reddantur.

Facit huc ab extra quæcunque violentia, ſeu caſu vel lapſu, ſeu improuida quaſſatione, etiam intempeſtiuo ad ambulandum niſu indicto, ſucceſſiue illata, nunquam negligenda.

Cum enim omnia ſint flexilia & mollia adhuc, facile inæqualitas cartilaginoſæ epiphyſi v. g. oſſis femoris, aliorumque, vel oſſi, vel toti carinæ inferri poteſt, niſi mature proſpiciatur, ſecuritate omiſſa, quo de vid. *Rolfinc. Diſſert. Anatom. p. 433.*

Ab intra vero ſucci nutritii ratio habenda eſt, tum in genere, tum in ſpecie, ne rhachitici quid pariat eiusdem qualitas, temperies & γλισχρότης vitiata, quæ communiſſima talis anomaliæ eſt cauſa, etiamſi non ſemper obuia.

Addi poſſunt partim alii circa oſſa, eorumque vertibula, morbi, partim ſpeciatim circa ſpinalem carinam coorta vo-

mica, ſeu abſceſſus, quo de curioſe & plenius egit *M. A. Seuerinus de recondit. abſceſſ.* vti & *Galenus*, & *Cous* ipſe dudum.

Hinc attendendi ſeorſim artus, vt pedes, in quibus frequentius claudicatio infertur, eiusque variæ quaſi ſpecies; & manus, latius ſumptæ, in quibus contractura magis occurrit.

Vidimus etiam, præter alia, os tibiæ magis inflexum & curuum redditum in puella, in aliis inæqualem protuberantiam circa talum, ne de monſtroſa connata inflexione dicamus. In digitis vero manuum, vno alteroque, nodos intermedios, inſtar verticillorum, vt non committi ſibi ſeu approximare alter alteri poſſet, ſteatomatoſo tumore.

Vt itaque atrophia, paralyſis ipſa, tumor ventris, & ſpeciatim anomalia ac improportio nutritionis, ipſiusque capitis magnitudo maior viſa, ſuſpicionem mouent de rhachitide, Anglis magis obſeruata, & deſcripta, & noſtris tamen locis quoque non infrequenti; ita auctionis & flexionis vniuerſalis inæqualitatem & remoram, ſiue inde quoque vtplurimum, ſeu aliunde quoque oriundam infert gibboſitas, eiusque veluti ſqecies.

In eo enim ligamenta debita robur ſuum non obtinentia primum laxitatem concipiunt, hinc ſiccitatem, & elongationem ſic conſequi nequeunt. In σείσει quidem velut æqualiter magis, concidente dorſo, extrorſum facta protenſione, antice quaſi cauitate facta, vt ſedere erecti & ambulare nequeant. Vid. *Galenus*.

In gibbere proprie & κατ᾽ ἐξοχὴν dicto inæqualiter vel in vertebris dorſi ſuperioribus vel inferioribus vna alteraque vertebra extrorſum prominet, nonnunquam & ſinuatur ſerpentinum in modum, ſeu cum aliquo tumore laterali σκολίωσις fit. Et lateralis hæc ſeorſim obliquitas circa axillas

quoque

quoque, tanquam relatas partes, obtingit, hohe Schultern; In λορδώσει verſus interiora magis protuberantia, in dorſo vero curuitas, cum centro grauitatis inuerſo.

In ſingulis fere pedum quidem longitudo debite magis ſibi conſtans, ventris vero medii minor extenſio apparet, & quædam macies, vnde & in habitioribus minus occurrit gibbus, ipſe præ aliis hinc lateralis & frequentior, vt rariores reliqui modi. In λορδώσει venter eminentior, in omnibus inflexio dorſi non reſpondens, ſicubi v. g. ex terra aliquid attollendum fuerit.

Nodi vero digitorum, vel alibi quoque, circa articulos debentur exuberanti & eccentrico quaſi alimento phlegmatico magis, ad coagula prono, iuuante frigore, ligaturis & aliis.

Imminere gibbum arguit a priori vtplurimum & potiſſimum ambulandi erecto corpore difficultas & laſſitudo (v. g. dyſenteria, & aliis prægreſſis) non ſtatim enim erumpit æque; hinc ſenſim ſenſimque cum difficultate illa tumor pateſit, & conſequentia pectoris anguſtiam ſymptomata alia, reſpiratio difficilis, aridura, hæmorrhagia narium, vere inprimis accidunt &c.

Mature hinc obuiam eundum cuicunque etiam leui gibberis imminentis præſumptioni, præſeruatiue & curatiue, interne & externe, prius, quam velut callus inducatur, & flexilitas hinc dorſi vel corporis medii minus reddatur reparabilis. Vnde deſperata fere res eſt, & fruſtra ſunt, qui violentia maiori vel frangendo quaſi & cogendo id reſtituere volunt, quando oſſa continua redduntur prius contigua.

Gibbus lateralis omnium maxime eſt tolerabilis & curabilis quoque, neque enim officit elongationi corporis debitæ, & ob faciliorem ligaturam & ſic ſtricturam ibi certius paulo ſperari poteſt ſalus vel moderatio.

Coſta ſcilicet eminens & deuians v. g. exempli loco eſt, & vertebra vna vel altera ad lumbos magis vergens magis curanda, ob compreſſionem faciliorem.

Quod ſi vero & hæc ſerpentina quaſi incuruatio ſit maior & neglecta, non ſolum fruſtranea magis fit reſtitutio, ſed & ob compreſſionem viſcerum ipſam procidentiam vteri in virgine inde coortam notauimus.

Studioſe hinc cauendum, ne ſolis externis quibusuis mederi conemur, cum &, citra læſionem externæ cauſæ, ſponte talia vitia nonnunquam eueniant, & occaſio talis externa labem internam vna inferat.

Et huic quidem προφάσει ſpeciali, & priuatæ partis labi, caſu, lapſu, ictu &c. factæ, vt & defluxioni inde citatæ debentur traumatica, reſoluentia, diaphoretica blanda & neruina: communi vero, rhachitidi ſcilicet, magis vel minus iunctæ, antiſcorbutica & lymphæ nutritiæ, dulci, balſamicæ, ac viſceribus roborandis dicata.

℞ tinct. bez. eſſent. ſcord. mumiæ a. ℈j. vel ʒß.
eſſent. anod. gtt. vj. M.

℞ mixt. ſimpl. rectif. eſſent. lignor.
elix. pectoral. a. ℈j. tinct. anod. gtt. v. M.

℞ ocul. cancr. ppt. antim. mart. cach.
(vel Iouial.) cinnab. nat. a. ℈j.
dent. hippop. mum. a. ℈ß. magiſt. anod. gr. iv. M.

℞ eſſent. vitriol. mart. tinct. mart. helleb. a. ʒj.
ol. citri ver. gtt. j. M.

℞ aqu. ſum. abiet. arcan. tartar. a. ℥j.
liqu. mart. gtt. iij. vel iv. M.

℞ pulu. aperit. cinnabarin. ℈ij.
viper. Ital. ver. fl. ⊖✱ci ⊕tor. a. ℈ß. M. F. pulu.

℞ eſſent.

℞ eſſent. mart. cum flor. ſal. ammon. ℨij. D.

Exterius vero omnis cura vnice impendenda eſt coæquationi, quantum omnino fieri poteſt, idque data aduocatione omnino, mora & expectatione, qua denegata, neglectu ſæpe malum redditur minimum deterius, ſi non incurabile.

Fit illa optime (1) fotu, & emollitione, ſiue ſolo vino calido, ſeu cum plantis neruinis leniter cocto, vt & vnguentis, quale eſt *Strobelbergeri lib. de affect. puer. p. 61.* vel aliis.

℞ pingu. equi (ex collo) Kammfett/ taxi a. ℥ß.
castor. ℨj. ol. petr. ℈ß. camph. gr. iv. M.

℞ vngu. populn. neruin. martiat. pingu. human. a. ℥ß. M. Quo ipſo & atrophiæ ſatisfit ſimul. Confert huc & ſaliua ipſa ieiunæ matris vel nutricis affricta, ſpiritus vini iuniper. eſſent. ſabin. &c.

Fota ſic prius pars, vel ſæpius etiam inuncta, vt fibræ ſic reſpectiue tenſæ laxentur & emolliantur, vt cedere poſſint, & roborentur in tono ſuo (2) compreſſio tentanda. Hinc v. g. antice vola ſiniſtræ manus thoraci, ſeu lateri oppoſito, impoſita, & dextra in pugni modum compoſita, & pollice curuaturæ indicis ſubdito compreſſio fit circularis, repetendo id quotidie; deſuper hinc emplaſtro applicato, vel ſolo etiam vnguento populneo illito & affricto.

Hæc compreſſio vt ſenſu ipſo teſte eſt tolerabilis & indolens, ſine moleſtia vlla, optima tamen; ita per violentiam coactiuam machinæ eleuatoriæ (eine Winde) criq vel cris potius Gallis, vel minus id tentandum, vt infeliciter factum nouimus, vel cautiſſime, quo de vid. *Riuer. obſeru. communic. p. 688. 1.* In eundem finem comprimendi & (3) roborandi conſulto thoraces vel integri coriacei, ſeu linei cum oſſibus balenarum, vel ſeparatim inciſi,

ciſi, & cum ſpleniis, aliisque & ad ſpecialius comprimendum formati, adaptata mechanica, geſtandi ſunt, quorſum & alia inſtrumenta eleuatoria v. g. capitis &c. ſpectant, vnde non ſolum ſartores, ſtatuarii, plaſtæ, ſed & certi artifices etiam huic curæ operantes conſulendi pro re nata ſunt ſimul.

Velificantur his (4) emplaſtra roborantia & firmantia, minus vero picata, tenaciora, & fracturis debita, in infantibus,

℞ emplaſtr. contra ruptur. ℥j. ſperm. cet. ʒij. ol. populn. q. ſ. M.

℞ empl. de beton. Londin. incognit. a. ℥ß, ol. petr. ℈ß. caſtor. q. ſ. M.

Sic & ſeorſim curuaturæ inæquali oſſium, coſtarum, axillarum, lateris, v. g. ipſius, commode ſuccurendum eſt (5) ferulis æneis linteo vel corio obductis, alisque accommodis, **außgeſchnitten**/ parti debiliori, v. g. ſub axillis firmandæ & ſuſtinendæ applicatis, non omiſſis neruinis, aliisque topicis; tibiis item curuis alligandis ferulis ligneis aliisue tenerioribus, vel ocreis quoque indutis, donec figuram naturalem recipiant.

In articulis vero omni modo cauenda eſt contractura, & ſic elongatio & flexilitas ceſſans, ipſis fotibus, blanda extenſione & litibus neruinis continuatis adhibitis. Valet id, & vidimus v. g. in brachii medio circa cubitum, item in manu ſiniſtra & pede ipſo poſt variolas contracturam paſſuris, feliciter curatum. Facit huc ſpir. matrical. aqua articularis ad extra, Anhaltina, lotiones item & fotus ex appropriatis, cum vino coctis, applicati v. g.

℞ rad.

℞ rad. helen. ſymph. pæon. a. ℥ß.
herb. ſalu. roſmar. muſc. terreſt. clauat.
origan. ſiderit. chamædr. chamæpyt.
pol. montan. beton. meliſſ.
fl. hyper. ſtæch. Arab. a. mß.
thur. maſtich. cort. thymiam. a. ʒiß.
Conc. Cont. gr. m. M.

Tacemus pinguedinem taxi laudatiſſimam, caſtorii, humanam ipſam & reliqua.

CAPVT XXXIII.

DE

Tumoribus tonſillarum & vuulæ, bubonibus, ſtrumis, ſcrophulis, & gangliis.

PAtiuntur & tumores externos infantes non vnos, quos & hoc loco in calidos & frigidos partiemur, illos dicendo, qui ad ſuppurationem magis perducuntur, ex methodo communi medendi tractandi. Talem ſatis magnum in infante trium annorum circa dorſum, & alios varios vidimus, chirurgi ope & acceſſione indigos.

Speciatim vero magis fere obnoxii ſunt tumoribus frigidis & lentis, maxime glandularum. Hæ enim cum lymphæ ſint colatoria, partim vt refluat ad cor iterum per vaſa lymphatica, id quod in conglobatis magis fit, partim vt exſtilet, & ſecernatur, vt in ore ſaliua & mucus circa fauces, & fit in conglomeratis magis, vt in pancreate ipſo, fit facile in tenellis & rario-

rarioribus corporibus, vt ab aere frigido, ab ἀδδηφαγία aliisque occaſionibus hic illic fiat remora, ϛάσις & coagulum, indeque tumor, modo dolorificus quoque, ſanguinis circulo læſo concurrente, vt in bubonibus, modo indolens magis, a lympha magis peccante, acidoque & viſcido exuperante, vt in iisdem & aliis, in parotidibus item, & ſub axillis ipſis.

Maxime illi fiunt circa collum & fauces, itidem in ætatis incrementi primo ſeptenario, iique partim externi, tactui & viſui obuii, partim interni, nunquam negligendi; nec vnquam temere aperiendi.

Bubones quidem, qui vulgo Wachs-Drüſen hinc audiunt, non raro ad ſuppurationem deueniunt, in ſuperioribus vero partibus, circa pharyngem tonſillæ etiam citra deglutitionis incommodum inſtar amygdalarum vtrinque tumefactæ propendent, & ſubſiſtunt etiam ſæpe longius. Vuulæ vero elongatio & tumor deglutitionem ſollicitat, & velut in amplexum ſubiecti degluciendi fruſtra venit; vnde inſpectioni oculari hæc patent magis.

In ſingulis hiſce glandoſis tumoribus curatio communis eſt, (1) vt diaphoreſi blanda mature diſiiciatur, quod coire & ſtagnare intendit, vt in circulum ſuum reuocetur lympha e ſpongioſis illis reticulis, & fermentum peregrinum in maſſam ſanguineam deriuandum vel conceptum diſſipetur,

℞ tinct. bez. ℥j. liqu. corn. ceru. ſuccin. ℈ß,
eſſent. lignor. ℈j. M.

℞ pulu. bezoard. vtriusque, cinnab. nat. a. ℈j. M.

His ipſis internis etiam ſolis ſæpe in principio diſcutitur omnis tumor. Hoc ſi renuat, & calor dolorque non remittens intendatur, (2) ad maturationem & ſuppurationem blande promouen-

mouendus tumor, v. g. illito exterius calide & affricto oleo amygdal. dulcium, & deſuper impoſito emplaſtro de meliloto, vel diachylo ſimplici. Addi etiam poteſt ol. ceræ.

℞ emplaſtr. de melil. diachyl. ſimpl. a. ℥iij.
ſperm. cet. fin. ℥j. ol. bez. q. ſ. M.

Sin maiori gradu reſolutionis opus ſit, recipitur emplaſtr. diachyl. cum gummatibus, & alia.

Vulgus in bubonibus imponit mel, cum farina ſecalina mixtum, cui farina lini eiusque oleum melius ſubſtituitur; iniuncta ſimul quiete debita.

In vuulæ laxitate fungus ſambuci & vuularia potui indi poteſt; litus etiam cum ſir. pap. rhœad. vel iniectio quoque gargariſmatis fieri debet; Bregmati vero imponi vel ſolum ſuccinum album præparat. cum fermento, vel remixtum cum aliis, v. g.

℞ gum. iunip. maſtich. ſuccin. alb. præp.
anim. tacam. a. ℈ß. camph. gr. iij.
olei ſuccin. lign. ſaſſafr. a. gtt. ij. M.

Ex his etiam, ſeorſim & coniunctim, fieri poſſunt ſuffitus, qui in glandularum tumoribus optime ſe gerunt, vna cum blanda linteaminum calidorum frictione.

In his vero & aliis ipſa quoque purgantia fuſoria ſua & liquante virtute ſunt proficua, non omiſſo ipſo mercurio dulci, modo prouide id fiat; & phlegmagogis aliis, vt agarico. Tonſillæ vero interius, indolentes & innoxiæ deglutitioni, etiam quandoque negligendæ, vel ſaltim mora concedenda, non neglecta tamen ſpina dorſali & rhachitide latente.

Quod ſi vero magis frigidi & producti tales tumores, glandulæ, nodi, vt ſub mento, pone aures, collo, in adultioribus paulo etiam brachiis aliquando tubera ſcorbutica (etiam

ſubliuida nonnunquam) vel ſcrophularum in modum, vnus, vel alter, ob ſymbolismum glandularum ſubnaſcantur, tædioſa ſæpe & chronica curatio expedienda.

Hinc, præter laudata iam communia, lymphæ ςάσει & viſcedini debita ſedulo continuanda, interius reſoluentes pulueres & alia, & exterius litus & emplaſtra ſimilia conueniunt, Luna inprimis decreſcente.

℞ arcan. duplic. ſuccin. alb. ppt.
teſtar. ouor. calcin. lap. ſpong. cinnab. nat.
antimon. mart. cacheſt. ocul. cancr. ppt.
pulu. viper. Italic. ver. a. ℈j. M. F. pulu.

℞ eſſent. antim. tartariſ. ʒj.
ol. calam. arom. chamom. ver. a. gtt. iij. M.

℞ eſſent. lignor. tinct. viper. a. ʒj. M.

℞ ol. galban. laterin. petrol. a. ℈j.
ſabin. iuniper. ceræ a. gtt. v. M.

℞ ol. ad ſcrophul. Lang. vel Helmont.
pingu. viper. claræ pellucidæ a. ℈j. M.

℞ ol. petrol. ʒij. camphor. ℈j. M.

Et hoc ipſum pluribus ſcopis accommodum eſt, etiam ad ipſa ganglia.

℞ empl. de melil. diaphoret. a. ʒij.
de ran. Vig. cum merc. ʒj. ol. petr. camph. q. ſ. M.

Sic &, quando a contuſione infantibus tumor conſit, locum habet aqua frigida cum linteo appoſita, loco defenſiui, vinum item calidum, vt diſcutiens, compreſſio cum cultro citra ſuperſtitionem. Optima vero ad reliquias huius eſt pinguedo viperarum, vnde & prohibetur, ne ganglion ſuccedat, vel per ſe, vel cum petroleo camphorato mixta.

Seorſim id in gangliis valet, vbi & compresſio cum clauo rotarum currus quotidie repetita, cum globulo plumbeo in pla-

num

num vel laminam redacto, (quo ceruus transfoſſus, eligunt vulgo, ſed eo non opus eſt; cum vel ſine amalgamate mercurii poteſt.

Tacemus frictionem cum ſaliua ieiuni hominis, contactum & applicationem manus cadaueris phthiſici, conſtrictionem, Kneupen/ cum digitis, & commorſionem ipſam per dentes, qua nouimus empiricum ſtrumas & ganglion curantem. Cauendum tamen, ne læſio maior inde fiat, disruptis vaſculis lymphaticis, & irritatis neruis, vnde vlcera maligna confieri queunt.

Ad exciſionem vero, ſeu tectorum tumorum & glandularum, ſeu nudarum quarumcunque non annuendum, ſiquidem remedium grauius eſt morbo, vnde & ganglion cum folliculo exciſum notauimus repullulaſſe aliquo tempore poſt.

CAPVT XXXIV.

DE *Febribus infantum.*

VT vniuerſalis morbus ſunt febres; ita & infantes iis non ſunt exempti, tum primariis, tum ſecundariis, & comitatis frequentius, tum intermittentibus, rariſſime licet, tum continuis ipſis quoque, licet rarius,

Ita vidimus infantes, etiam vix annum natos, & adhuc lactentes, citra affectam ſimiliter matrem laborantes, a priua-

to fermento, vndecunque concepto, tertiana & quotidiana, cum typo conſtanti expreſſo, imo & ipſa quartana in quatuor, quinque, ſex annorum puello.

Vt vero tutiores ſunt intermittentes in genere: ita & infantes iisdem correpti ordinarie non moriuntur, etiamſi aliquando rebellis ſit morbus. Ob teneritudinem tamen vaſorum vidimus colorem ictericum illos præ ſe tuliſſe, indicio manifeſto, biliosſam amurcam fermentificam in cauſa eſſe.

Hinc commode propinantur extra paroxyſmum aperientia, & annihilantia mineram febrilem, hinc & blande euacuantia.

℞ anim. rhabarb. ℈j. dentur gtt. v. vj.

vel plures etiam, mane & veſperi.

℞ tinct. mart. temperat. cydon. a. ʒj. M.

℞ rhab. el. gialap. el. a. gr. iij. arcan. dupl. gr. ij. M. F. pulu.

Sin vomitorio opus videatur:

℞ ipecac. ſal. card. bened. a. gr. iij. vel iv. M.

℞ conch. ppt. antim. diaphor. arc. dupl.
chin. de chin. a. ℈ß. cinnab. nat. gr. iij.

M. F. pulu. dandus ante paroxyſmum.

Si lacte nutriantur adhuc, conſulto dedimus matri vel nutrici olei febrifugi gtt. iij. vel iv. liberato inde infante.

In prouectioribus vero eadem, quæ in adultis alias proficua ſunt, proportione ætatis commode etiam hic impenduntur. Id quod de cortice chinæ de china etiam intelligendum, ſeu potui indito puluillo in nodulo, ſeu aliis modis conſuetis.

Solet

Solet & eodem caſu quocunque febrili vſitato appendi infantibus calentibus camphora, diſſlandi & roborandi ergo, quod & concedi & ordinari poteſt facillime.

Sin febres continuæ corripiant infantes, circa eas notauimus (1) matre ipſa eadem laborante, imo & mortua, liberos tamen manſiſſe, nec quicquam inde paſſos.

(2) Pluribus in domo eadem affectis febri continua, & maligna quoque, infantes & pueros, etiamſi itidem correptos, euaſiſſe tamen, & minus mortuos. Aliquando omnes in domo moriebantur, ſolo infante bimulo reſide & ſuperſtite.

(3) Vt in adultis febres criſin ſuam abſoluere ſolent decimo quarto die, ita infantibus illam obtigiſſe die ſeptimo, ob texturam & proportionem corporis habitus, ſeu fabricæ & maſſæ ſanguineæ ipſius, teneriorem.

His vero caſibus venæ ſectio minus tum conſueta eſt, tum minus quoque neceſſaria, facilius ſubigendis humoribus, vel ſpontanea fiente quoque hæmorrhagia, purgantibus vero, dummodo aluus ſeruetur aperta, itidem ſuperuacaneis.

℞ tinct. bez. eſſent. ℥j. mixt. ſimpl. ʒß.
eſſent. anodyn. gtt. v. caſtor. gtt. iij. M. Dentur gtt. vj. viij. quæ mixtura polychreſta eſt, pro modulo ætatis danda, nec infantibus ablactatis inconueniens.

℞ pulu. bezoard. cordial. arcan. triplic. a. ℈ß. M.

℞ tinct. ex flor. alterantib. 4. cordial.
pap. rh. cum clyſſ. δii parat. a. ʒj. vel ij.
M. indantur in potum ſubinde guttulæ ſufficientes.

℞ balſam. rut. ſuccin. polychreſt. a. ℈ß. M.
illinatur temporibus & pulſibus, vt alia taceamus, ipſumque heris & reliquum diætæ regimen, vitando lac, vinum, & alia, etiam quoad nutricem ipſam.

R 5 CAPVT

CAPVT XXXV.

DE

Paralyſi, arthritide, & luxatione femoris.

PAtiuntur & infantes ſuos manes, quoad extrema, articulos, manus & pedes, partim quoad ſenſum, partim quoad motum quoque animalem, & progreſſiuum voluntarium.

Ita non raro fit in infantibus, vt tardius admodum inſiſtere pedibus & progredi diſcant, quod debilitati neruorum, muſculorum,& naturæ ipſius debetur. Sæpius vero, qui iam ambulare potuere, hinc deſiſtunt, ceſſantes id facere.

Paralyſis hæc ſeu impotentia motus, ſæpenumero faſcino adſcripta, fieri aſſolet modo in vno, modo in vtroque pede ſimul, (nam in manibus apud infantes rarius obſeruatur). Affectæ vero partes flaccidæ apparent, contrahi renuunt, ceteroqui flexiles & molles, frigidæ etiam ſæpe ad contactum.

Viſum hoc eſt aliquando & ſolum circa plantam pedis vnius, eiusque dimidium quaſi, vt inſiſtere non poſſet in planitie ſua, ſed ſaltim ad latus alterutrum, non ſine deformitate & debilitate.

Frequentius in toto pede alterutro vel vtrisque labes inhæret, ita vt in origine magis obſtructio vel cauſa hæreat, quam in inſertione, vniuerſo pede latius ſumpto, ceſſante in ſuo, geſtandi corpus reliquum, officio.

Idque vel ſine cauſa manifeſta externa, ſeu vere tali, ſeu occultata, vel præuia illa ipſa, caſu, lapſu, contuſione,aliisque;

partim ſimul ac ſemel hoc vitio animaduerſo & accidente, partim pedetentim ac ſucceſſiuè.

Sic etiam vidimus a luxatione oſſis femoris, dextri vel ſiniſtri, non quidem paralyſin, motu ceteroqui præſenti, ſed citra inſiſtendi vel ambulandi potentiam, ac robur genuinum ſeu debitum, quod omnino animaduerſione & examine in parte affecta ſeu læſa eget. Facile vero vel tumore inæquali, vel elongatione comparata colligitur.

Idem notauimus etiam ab epilepticis conuulſionibus præuiis, a variolis ipſis prægresſis, a gibbere in dorſo emicante in puello quinque, ſex annorum, licet id *Sennertus* neget, vel non obſeruarit potius, & maxime omnium a latente rhachitide. Hæc enim variat vt affectibus ipſis productis, ita etiam partibus affectis his illis.

Quicquid horum ſit, recurrendum eſt ad irradiationem ætheris impenſi, ſeu ſpiritus animalis ſuſpenſam, (qualem vniuerſalem hinc quoque in adoleſcente ſedecim annorum præter alios vidimus & vltra biennium talem, Dei O. M. ope reſtituimus) ſeu ab alia obſtructionis ſpecie (plures enim dantur omnino) ſeu potisſimum a fixatione ab acido lymphæ ſcorbutico, vndecunque in poros neruorum huius vel illius partis inuitato; tum per acidum abſorbentia & inuertentia fixa, volatilia, & media, tum roborantia, & exuſcitantia luculam æthercam alia corrigendo.

Sed cum prognoſi neceſſaria id præſtandum eſt, fundanda in circumſtantiarum examine, & requirenda aduocatione, quæ ſi non concurrant, minus feliciter cura præſtari poteſt, & contra, ſecus, ac vulgo ſibi perſuadent.

℞ pulu.

℞ pulu. epilept. March. ℈j. cinnab. nat. rad. ar.
lap. ſapph. occ. ppt. corall. rubr. ppt. a. ℈ij.
ol. caryophyll. gtt. ij. M. F. pulu.

℞ elix. cephal. ʒj. ſpir. vitriol. cephal.
ſpir. form, compoſ. Lauremberg. C.C. ſuccin. a. ℈ß. M.

℞ aqu. lil. conuall. cum vin. tinct. mart. helleb. a. ʒj.
ſpir. ſal. ammon. volat. gtt. X. XII. M.

Hic enim probatisſimus eſt hiſce caſibus ad poros neruorum reſerandos, acidum figens inuertendum, & ætheris libertatem priſtinam recuperandam, ipſi ſpiritui corn. ceru. præferendus.

℞ ſal. volat. oleoſ. lact. cephal. a. ʒj. M.

Quod ſi per ætatem liceat, in prouectioribus, infuſa & decocta pugillaria cephalica & neruina ſunt longe optima, quippe ſuccesſiue alio charactere inducto lymphæ debitam luculam fœnerantia.

℞ rad. trif. fibr. ſarſæparill. pæon. a. ʒiij.
herb. verben. beton. ſalu. roſmar.
chamædr. chamæp. mar. ver.
flor. ſtœchad. Arab. paralyſ. lil. conual. a. p. iij.
cardamom. cinnamom. lign. aloes a. ʒj. M.

Velificantur his & blandæ frictiones, integumenta ex pelle vrſina & alia, calorem fouentia & reparantia, frigore ſumme cauendo & arcendo, cumprimis vero vnguenta neruina ad originem neruorum præcipue, & quotidie quidem illinenda.

℞ vngu. neru. Auguſt. (paralyt. Brandenb. martiat.) ℥j.
pingu. caſtor. ʒj. ol. petr. alb. ʒß.
ol. ſalu. lauend. apoplect. a. gtt. v. M.

Vrticationes vero & thermæ magis in adultis locum habent, cauendo

cauendo vehementiora præſidia, neque etiam purgantia fortiora vel ſudorifera continuata coactiua æque proſunt, ſed moderatiora ſucceſſiue alterantia & roborantia.

Commode etiam pedibus applicantur balnea & lotiones ex iisdem aliisque neruinis, additis formicis, earumque nido, & reſinoſis particulis, inprimis vero radice ſymphyti ipſa, ab *Hartmanno* etiam ſeorſim commendata, quæ glutinoſitate ſua poris inſinuatas particulas balſamicas firmat.

Eadem fere cura etiam debetur contracturæ, & aridurae a luxatione oſis femoris, nonnunquam & arthritide, oriundæ, pro roborandis neruis. Enimuero & hæc vago articulorum dolore, licet rarius paulo, contingere etiam pueris ſolet.

Debetur vero, vt in adultis quoque, fermento acido-acri, tartareo, ſcorbutico ad extrema & articulos deſpumanti, cui corrigendo & abolendo debentur itidem aperientia, neruina, & reſoluentia, non omiſſis anodynis & ſimilibus.

℞ tinct. bez. eſſentif. ʒj. mixt. ſimpl.
eſſent. lignor. ſummit. pin. a. ℈j.
anodyn. ℈ß. M.

℞ ſpir. lumbr. terreſtr. ʒj. mixt. ſimpl. rectif. ʒß. M.

℞ pulu. lumbr. terreſtr. calc. pulu. bez. minor.
cinnab. nat. Hungar. a. ℈j, extr. anod. F. iv. M.

Opus vero eſt & euacuante conformi ætati doſi propinando; rarius paulo apud nos etiam venæ ſectione, quam hoc caſu (& melancholia incipiente) in pueris admiſimus, & ſuaſimus vni quinque, alteri ſeptem, octo annorum, ſed prouide.

℞ rad. gialap. rhab. el. a. gr. iv. cinnab. nat. gr. j. M.

S Exte-

Exterius linimentis ſpirituoſis contentos eſſe oportet, ſi dolores vrgeant, ceteroqui & his non facile ſolis immorandum.

℞ ſpir. lumbr. volat. corn. ceru.
formic. cochlear. a. ℥j. eſſent. caſtor. ℈ß. M.

CAPVT XXXVI.

DE
Furunculis, vlceribus, ſcabie, lue Venerea.

INter morbos externos, quibus infantes affici & inſici ſolent, etiam in tenellis nonnunquam emicant inprimis nominati, qui in genere quidem habent communem quandam cauſam, impuritatem ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguineæ, illatam vel conceptam, definitis reſpectiue, vel indefinitis, locis, velut ad littus deſpumantem & exundantem, acrem, roſiuam, magis vel minus viſcidam; in ſpecie vero differunt coniunctis ac productis, & maxime malignitate.

Facit huc vitium lactis & nutricis cacochymicæ frequentiſſime, *ἀδδηφαγία*, & vitia diæta alia, eſus piſorum, lentium, ſalſorum, carnis ſuillæ &c. Et ſeorſim furunculi, modo ſolitarii, vel vnus vel alter ſolum, modo confertim plures, Blutſchwåren/ Hundrüttеln/ nonnunquam liuidi, dolorifici, & torquentes miſeros non leuiter.

Vlcera etiam alia, præter iam tacta, vel puſtulæ quoque, vt pedum, manuum, faciei ichoreſcentiam particularem notant, non minus ac ipſa ſcabies, humida & ſicca, ſero ſalſo muriatico debentur, velut criticum in modum; præſeruantia licet ab aliis morbis grauioribus.

Spe-

Speciatim lue Venerea quidem liberi debebant eſſe, vtpote innocentiſſimi, idem tamen flagellum quoque aliquando ſuſtinent, parentum vel nutricum culpam luentes.

Vidimus infantem ex vtero materno vix egreſſum luis huius connatæ notas manifeſtas, præcipue in pudendis, exhibentem, & breui tempore hinc mortuum, quamuis in parentibus, noſtra quidem conſcientia, nullum huius veſtigium præſens adeſſet.

In aliis ordinarie magis in facie & circa labia vlcera Gallica maligna occurrerunt; (hac enim ſpecie fere magis affici ſolent, quam alia) hinc & circa anum tubercula vidimus pathognomica. Certius vero ſingula patuere, vbi plures in eadem domo deprehendebantur affecti, v. g. mater, infans, quem lactabat, filia virgo, & ancilla, per contagium inducto fermento Venereo. Tacemus faucium vlcerationes, lituras cutis, tumores, lichenes, verrucas, aſpredines, puſtulas, & vlcera alia.

In genere itaque porro etiam huic ætati, ſi talia obtingant, in ſua quidem latitudine conueniunt ſaponaria, defecantia, renouatiua, alterantia, & ſpecifica, antiuenerea, coagula, & deturpationes quaſcunque reſpicientia; principaliter interna, adæquate & in ſubſidium externa.

℞ eſſent. lignor. viperin. antimon.
mixt. ſimpl. rectif. a. ʒj. M.

℞ eſſent. fumar. compoſ. ʒj. ſerpent. Virgin.
tinct. bezoard. a. ʒß. M.

℞ liqu. C. C. ſuccin. ſpir. tartar. a. ʒß. M.

℞ antimon. diaphor. pulu. cordial. viperin. a. ʒß.
cinnab. nat. gr. XV. M.

℞ pulu. bez. min. e chel. cancr. ſerpentar. Virg.
viper. Italic. a. ℈ß. M.

Quandocunque ergo nutrix infecta, vel ſuſpecta quoque non ſine cauſis vel ſignis obuiis eſt, neceſſario, ſiquidem id fieri poteſt, & licet, mutanda eſt. Ipſa vero tubercula & variolæ Gallicæ non ſuppurantur, nec confundenda hinc cum reliquis, vtpote chronica & alius plane commatis. Vtque definita vlcera Venerea ſuperficiaria in infantibus facilius curantur, ita ſaliuatio mercurialis, etiam incompleta, minus locum habet, nec vnguenta temere adhibenda in ſcabioſis ipſis.

Quod ſi vero topica requirantur nihilominus, in furunculis chirurgi acceſſu emollientia, ex emplaſtro de melil. diachyl. ſimpl. & aliis, hinc temperantia, mundantia & ſanantia adhibenda.

In ſcabie, præmiſſis præmittendis, tutiora ſaltim, ex oleo ouorum, acinorum ſambuc. vngu. de glycyrrh. populn. alb. camphorat. cum ſem. lycopodii, item lotiones ex oxylapatho & alia blandiora conueniunt.

℞ vngu. enulat. ſimpl. ℥ß. ſem. lycopod. ʒß.
pingu. viper. ℈ß. camph. gr. iij. M. F. linim.

In ichoroſa & intertriginoſa illuuie aqua calcis viuæ blandiſſima cum pompholyge vera, & aqua mercurialis ipſa, applicari poſſunt. Hæc enim refracta eſt, & tutior, vti etiam grauiori malo mercurius dulcis in paulo adultioribus hoc caſu ad vnum alterumque granum dari poteſt, ſed rite præparatus, non item maiori doſi, continua, vel diſcreta.

Tacemus loco horum etiam, ſi neceſſum videatur, inter externa vnguenta, præ aliis mercurium præcipitatum rubrum, lotum prius prouide, certis caſibus, remiſceri minori doſi poſſe.

Omni-

Omnibus hiſce velificantur purgantia, ex ſuperioribus huc repetenda, ne quid tamen nimis; & diæta commoda, non ſolum quoad addephagiam, pinguia, ſalita, & alia communia, verum etiam ipſam contagem, ne cum infectis aliis conuerſentur.

CAPVT XXXVII.

DE *Variolis & morbillis.*

TRia cumprimis morborum genera infantibus infeſta, & ſæpenumero funeſta timenda, ſunt cordi habenda, (1) variolæ, cumque his ſymbolici quaſi morbilli, (2) epilepſia; quæ intermediat quaſi (3) dentitio, tum ſeorſim, tum cum illis aliquando comitata; ſingula magis propria, & duo, primum & tertium, velut mala neceſſaria.

Variolæ ergo & morbilli conueniunt febri exanthematica, & cauſa communi proximiori, fermento maſſæ ſanguineæ deſpumeſcente in habitum corporis; variolæ quidem magis ſero ichoreſcenti, ſeu ichori, morbilli ſanguini magis debiti. Illæ humidæ, & nunquam ſine ſuppuratione curabiles, hi ſicci, ſola ſimplici diſcuſſione abeuntes.

Vnde vero humano generi præ omnibus aliis contigerint, præter τὸ θεῖον, ſine dubio quærendum eſt in eiusdem temperie ſpecifica, ſeu ἰδιοσυγκρασία reſpectiua. Calidum enim & humidum putredini maxime eſt obnoxium.

Huic accedit corporis nuditas, vnde alterationibus aeris magis expoſitum eſt: & carnium aliorumque heteroge-

neorum, ſeu omnis generis, eſus, quod alii fermento in vtero concepto, vt *Williſius*, alii corruptioni lactis acidæ, vt *Ettmüllerus*, adſcribunt.

Quandocunque ergo fermentum hoc alterutrum turbatiuum, ſeu groſſius, vnctuoſius & ſalinum reſpectiue magis fixum, variolaceum, ſeu ſubtilius, difflabile, volatilius morbilloſum emicat, prædominatur, & in actum deducitur, morbus præſto eſt, tutius fere & magis ſuperabile in ætate incrementi, minus tale & periculoſius in ſequentibus, & habitu corporis craſſiori.

Ancillatur vero magis ſtatus aeris, ad putredinem inferendam diſpoſitus, & contagium mediatum vel immediatum, quibus conceptum, vel importatum corpori, in actum erumpens, & hinc febri ſynocha continua concurrente determinata hæc exanthemata, velut criſi quadam κατ' ἀπόςασιν, fiunt & producuntur. Vnde ſeorſim communiter vagans malum attendendum eſt.

Ad meliorem notionem ſingulorum notandum eſt, gaudere vtramque hanc exanthematum ſpeciem ſua latitudine & differentiis, quæ bene ſunt diſtinguendæ. Sunt enim febres comitatæ.

Ita variolæ, tanquam puſtulæ ſui generis, aliæ ſunt veræ, aliæ ſpuriæ, illæ quæ cum febri ad perfectam ſuppurationem deueniunt; hæ partim aquoſæ, non tam alte defixæ, ſed in cute ſuprema magis, Wind-Bocken/ Waſſer-Blattern; partim minutæ, minori ſanie, tranſitoriæ, Stein-Bocken. Vid. *Sennert.*

Sic & morbilli, citra puſtulas & ſuppurationem, contra diſtinguendi ſunt partim purpuræ ſimplici, dem Frieſel/ a criſpando dictæ, infantibus etiam recens natis communi, partim ſcorbuticæ, aliisque exanthematibus, maculis ſolis conſpicuis, non confundendis. Acci-

Accidentario vero potiſſimum vtrique generi communis altera eſt differentia, inter benignas v. g. variolas, & malignas, easque tales non vno gradu, vt & a priori, vel a poſteriori. Signat variolas boni moris εὐφορία, πεπασμὸς, coctio bene habens, & abſentia peregrinorum aliorum; malignas vero v. g. petechiæ puniceæ nigricantes interſperſæ, ceſſans vel retrocedens eruptio, confluentia, & alia communia, reſpiratio difficilis & anxietas continuans. Morbillos vero partim eadem, partim grauiora ſymptomata alia, ceteroquin enim & citius decurrunt ſuam ſphæram, intra ſeptem dies v. g. ad ſummum durantes.

Commodiſſime concipi poſſunt variolæ, (& hinc adæquate & analogice morbilli) quoad tempus triplex, criſibus per dies conueniens (1) antecedens ſeu ebullitionis, (2) criſis ipſa, ſeu tempus eruptionis, (3) conſequens, ſeu declinationis ac exſiccationis.

Enimuero incipiunt variolæ manifeſte magis & ſenſibiliter, morbilli etiam fere magis clanculum ſeu remiſſius, (1) horrore, calore ſubinde aucto, cum variis ſymptomatibus, dolore ventris, capitis, dorſi, etiam cum pulſatione, tuſſi, vomitu, hæmorrhagia, deliriis, conuulſionibus, minus tunc temporis timendis, cum omnia ſint ſcilicet in motu, & fermento; vsque ad quartum diem, vbi calor etiam ſæpe quaſi ad naturalem redit, vbi caute agendum eſt.

Hoc excipit (2) tempus eruptionis tuberculorum, quando die tertio vel quarto, & ſic porro, maculæ rubræ, cum inæqualitate, hinc inde in facie, dorſo, pectore, abdomine, extremis, plantis pedum ipſis emicant, indies increſcentes, & ſenſim ſuppurantes ad diem vndecimum vsque, qui index eſt, etiam hoc

hoc loco, decimi quarti, vbi natura velut ouo incumbit, & maturationi operatur.

Et hæc tempora accurate ſeruat natura, etiam quoad dies, ſed cum aliqua latitudine, tum in toto, ſed rariſſime, vt eruptio & declinatio per vnum alterumque diem poſtponantur, quod vidimus in generoſa fœmina; tum quoad partes, in extremis enim paulo tardant hæc, manibus & pedibus ſcilicet, vt taceamus in tenellis etiam citius paulo finiri.

Vt ergo conſulatur fermento expellendo, deſpumationi, malignitati, fruſtra a quibusdam negatæ, minori vel maiori, febri & ſymptomatibus, ipſique propulſioni ceſſanti:

℞ tinct. bezoard. eſſentif. ʒj.
eſſent. ſerpent. Virg. ℈j. anodyn. ſpir. C. C. a. gtt. iv. M.

℞ mixt. ſimpl. rectif. liqu. C. C. tartariſ. a. ʒß.
eſſent. myrrh. balſam. ℈ß. M.

℞ pulu. bez. mai. ℈j. lap. bez. or.
cinnab. nat. a. gr. v. lap. de Goa ℈ß. M. F. pulu.

℞ pulu. bez. ℈j. cordial. ℈ß.
myrrh. el. ☿ nat. a. gr. iv. caſtor. gr. j. M.

Sordidiora paulo ſunt ſtercora animalium, ſeu equinum, ſeu alia quoque, euporiſta vulgi decoctum lentium, ficuum & alia, item corn. ceru. philoſophice præparatum, terra Lemnia, ſem. aquilegiæ &c. cereuiſiæ indita; aliquando & emulſiones, inprimis in adultis, quando ſitis vrget, vnde & promouetur egregie ſuppuratio.

℞ aqu. ſcorz. C. B. ceraſor. nigr. rub. id. a. ℥j.
Hercul. Saxon. frigid. ℥ß.
pulu. bez. ʒß. epilept. March. ℈j.
lap. bez. or. gr. v. theriac. cœleſt. gr. iij.
mixt. ſimpl. rectif. gtt. XX. extr. ſcorz. ℈ß. M.

Inter

Inter hæc vero nec aeri frigido, vel promiſcuo corpus exponendum, nec calore vel lecti, vel ambientis torquendi & quaſi ſuffocandi, nec ad ſudorem cogendi ægri, inprimis paulo obeſiores, ſed calore æquali, vel æquabili quieti detinendi. Nec potus denegandus neceſſarius, non æque tamen vini, neque lactis.

Alui quoque ratio habenda, non laxandæ, vel purgandæ a principio, qui enim aliter tractantur, ordinarie moriuntur, ſeu aliis, ſeu clyſteribus quoque, etiamſi per aliquot dies non reſpondeat. Ad ſummum pila ſaccharina fere ſufficit. Nec laxior negligenda, ſed blandis theriacalibus moderanda, vitando fructus horarios quoſuis.

℞ tinct. bez. eſſent. theriac. balſam. a. ℈j.
anodyn. gtt. iv. M.

Sub declinationem variolarum temperatiora bezoardica & renouatiua conueniunt. Nulla enim cura potior eſt infantum, quam variolarum.

℞ pulu. bez. minor. ℈j. viper. Italic.
myrrh. el. a. gr. vj. M.

Peſſime vero habent, qui minus expectorare poſſunt, lympham in pulmonibus coagulatam, vnde facile ſuffocationis metus oboritur, vel conuulſionis.

Pro oculis tutandis, vulgatum, ſed Dioſcorideum iam remedium, eſt crocus cum lacte humano palpebris illitus; aperiendis vero occluſis lac ſolum, vel ophthalmicum etiam ex ſolo magiſterio ſacchari ſaturni cum aqua roſarum, cum vel ſine aliis.

Ceterum ad tutandam faciem integram hinc inde quidem ſolent commendari remedia, & inprimis a *Cnöfelio Dec. I. Eph. Germ. Ann. V. obſ. 60. p. 50.* ceu præſens remedium con

tra variolas faciei, ne tam fortiter confluant, vel faciem dehoneſtent. (1) litus faciei cum ſpiritu vini myrrhiſato per duos dies. (2) ſacchar. ſaturni cum aqua roſarum mixtum, cum linteaminibus applicandum &c. Sed præſtat minus hæc imitari, & religioſe audere, repulſionis potius habendo metu.

Alterum vero eiusdem remedium *l. c.* gangrænæ in genis infantum a variolis curandæ, ſpir. ſal. vel vitriol. cum melle pro ſufficienti acidulatione illitum magis attendi, & ibi legi meretur.

Tacemus faucibus proſpiciendum, tum a chirurgo, ſi illum admittant, vel ferant, tum oleo bezoardico, amygd. dulc. iuſculis auenaceis, & aliis. Apertionem vero puſtularum & illitum oleum amygd. dulc. vel amarorum, vel pingued. viperar. conſultius hactenus omiſimus, quod tardius ſic exſiccentur, nec emplaſtra imponere iisdem congruum eſt, quod male ceſſiſſe vidimus.

Referri huc quoque poteſt purpuræ volaticæ ſeu ſcorbuticæ ſpecies, etiam in infantibus interdum occurrens, quam Eſſere vocant Arabes, non confundenda itidem cum morbillis.

Exigua erumpunt tubercula hinc inde in corpore, ſine inſigniori calore, cute inæquali, rubra reddita, cum inſigni pruritu, non aliter ac ſi vrticis eſſent percuſſæ partes, vnde die Neſſel-Sucht etiam vocatur.

Lenioribus vero bezoardicis & quiete breuius abigi ſolitæ cum ſint hæ maculæ, vix opus eſt iisdem immorari.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

DE

Calculo, & vrinæ incontinentia.

PRæter vrinæ vitia leuiora, difficultatem, & remoram, ipſumque ſabulum arenoſum, etiam in recens natis, maſculis inprimis, & calculi quoque concreti grauiora tormenta nonnunquam obueniunt, & quidem veſicæ potiſſimum, ac ſolius fere.

Enimuero obſeruauimus vtrumque, & calculum aperto marte hoſticum, & occultum quaſi illum, qui ſignis magis manifeſtis deſæuit, & cathetere, vel ſectione, vel poſt mortem denique inuentus fuit, ceu corpus delicti; huncce vbi quidem ſat grauia ſymptomata ſe exeruere, ſed ſenſim reſolutione facta curatio perfecta fuit conſecuta, poſt annum decimum quartum ætatis.

Perinde vero eſt, vtrum primæuam tartaream diſpoſitionem quaſi connatam, ſeu acidum & viſcidum inprimis cum terreo exuperans, ſeu anguſtiam pororum renalium, ſeu alia laudemus etiam in pueris. Satis eſt ad ſingula reſpicere.

Phænomena vero elucent calculi maxime ex vrinæ grauiori difficultate, ſtranguria, frictio pudendorum, interdum & erectio, tormina ventris ſpaſmodica, teneſmus, vrina albida, aquea, variegata, cruenta aliquando ipſa, quæ *Hippocrates*, *Celſus* & alii vberius recenſent.

T 2 Mire

Mire torquentur ſæpe, tum ab ipſis doloribus, tum ſitu ſeu poſitu cum triſtibus motibus corporis totius, mille modis variato, quod vidimus, vt faciliorem mictum, vel leuamen ſortiantur.

Idque nonnunquam per paroxyſmos, maxime circa mutationes tempeſtatis, vel fructuum horariorum, olerum, aliorumque eſum, potum cereuiſiæ feculentæ, recentis, acidulæ, & paulo ſenioribus *3. aph. 26.* quod alibi a ſeptenario ad decimum quartum annum definit.

Et hoc ipſum, per dicta, vidimus omnino in puero, qui per totos ſeptem annos ſæpius miranda quaſi illa patiebatur, iam ſanus & incolumis, præterquam vrinæ aliquando incontinentiam.

Notabile tamen eſt, non omnem dyſuriam, etiam in pueris, eſſe a calculo, quod bene diſtinguendum. Dyſuria quando laborant, inter mingendum magis clamant, in calculo vero magis ante hunc actum.

Vtrisque & præcipue dyſuriæ alcalina proſunt, vt euporiſton conſtituunt etiam carbones ſalicis vel tiliæ pulueriſati.

Optima ſunt reſoluentia nephritica quoque, omnino neruina & anodyna palmam obtinent, cauenda, nec temere propinanda, pellentia.

℞ lap. cancr. ppt. ſaph. occid. ppt.
cryſtall. ppt. cinnab. nat. ſperm. cet. alb. a. ℈j.
troch. de alkek. ℈ß. ſal. volat. ſuccin.
magiſt. anodyn. a. gr. vj. M. F. pulu.

℞ elix. nephrit. ʒj. eſſent. carmin.
eſſent. cerefol. traumat. a. ℈j.
anodyn. ℈ß. M.

℞ herb.

℞ herb. virg. aur. agrimon. a. m. j.
flor. chamom. Rom. mß.
Conc. Cont. gr. m. D. pro decocto pugillari.

Conſulto etiam adhibentur clyſteres lenientes & emollientes, vt & balnea ipſa appropriata, ſi vires & alia conſenſerint, inprimis vero linimenta quoque & ſacculi paregorici.

℞ ol. paregor. ſcorpion. a. ℥j. chamom. deſtill.
calam. aromat. a. gtt. v. M.

Cruditatibus etiam, acidis præcipue, & flatibus proſpiciendum vna, nec colica ſimplex cum calculo confundenda, ſed minimum vtrisque proſpiciendum.

Quod ſi calculus actu concretus ſit, isque productus, nec ceſſet, vel reſolui poſſit in ſabulum, vitæque inde periculum timendum ſit, apud nos quidem paulo rarius admitti ſolita, lithotomia vltimum eſt remedium, in perinæo ſcilicet facta.

Accidit etiam infantibus & pueris, ſimul & ſeorſim, in annis incrementi, vrinæ incontinentia, quæ duplex ſtatui poteſt, (1) promiſcua & indefinita, ſeu diurna quoque, vnde caligæ & veſtimenta ſordent, olentque & corrumpuntur.

Fit hæc a laxitate ſphincteris, a calculo etiam ſecto aliquibus reſes, ab intemperie frigida, a paralyſi vel quaſi tali ipſa.

(2) Definita & determinata tempore, vt nocturna. Illa eſt inuoluntaria magis abſolute, a retentrice, vt vocant, læſa; hæc ſecundum quid, & paulo improprie, ob copiam potus, ſeu ſtagnationem, & ſomnum profundiorem; ob malum morem quandoque ipſum: Vtraque non debet proprie, vel poteſt vocari diabetes, ſi vſum loquendi vſitatum ſequamur.

℞ eſſent. maſtich. traumat. a. ʒj. anod. gtt. vj. M.

℞ pulu. herb. agrimon. ℥ß. pellic. ventric. gallin. ʒij.
cort. caſtan. ʒiß. terræ Iapon.
maſtich. granul. a. ʒj. M. F. pulu.

℞ aqu. ſummit. abiet. tinct. mart. duplic. a. ʒj. M.

Super puluere etiam terræ Iapon. bibi poteſt, infuſo cum cereuiſia.

℞ pulu. terr. Iapon. cort. chaquerill.
corn. ceru. vſt. præpar. a. ʒij. M.

℞ vngu. ſumach. comitiſſ. a. ℥iij. terr. Iap. ʒj.
ol. petr. ℈j. maſtichin. q. ſ. M. F. vnguent.

Plura videantur apud *Hartmannum in praxi chimiatr. Ettmuller. Ferrar.* & alios.

Non minimum etiam conducit, & neceſſaria eſt diæta, vbi (1) potus reſpectiue parcior, inprimis in cœna, nocturnus vero non concedendus, (2) vt ante decubitum & mane, quando ſurgunt, vrinam emittant, adſuefaciendi. (3) Commode etiam aliquandiu, quibus hic affectus familiaris eſt, nocturnu excitandi, vt mingant extra lectum; ſubinde paulo ſerius, v. g. per menſem integrum, hora tertia nocturna, hinc poſtponendo ſucceſſiue horam dimidiam, donec adſueſiant tandem retinere lotium, quousque mane ſurgant.

Capvt

CAPVT XXXIX.

DE

Eryſipelate, fiſſuris labiorum, & extraordinariis quibusdam aliis.

ALiquando & eryſipelas occurrit in infantibus, quod aliquoties vidimus. Sic in recens nato tale occurrit in ſcroto puelli, ſatis periculoſum, vbi cautela maxima opus eſt; in alio etiam duorum annorum in pene. Sæpius vero in pede alterutro in vtroque ſexu; ςάσει vndecunque a lacte, vel ſanguine intemperato ac feruidiori contingente, nonnunquam etiam cum liuore aliquo.

Quodſi medicamenta aſſumere infans queat, melius dari poſſunt, quæ in febribus conueniunt, in lactentibus & nutrici & ægris, in ablactatis his ſolis.

℞ tinct. bez. eſſentif. ʒß. eſſent. lign. ℈ß.
anodyn. gtt. iij. M.

Præter temperata alia & cinnabarina quoque remiſcenda.

℞ pulu. bezoard. ℥ nat. a. gr. v. M.

Exterius:

℞ ceruſſ. ʒß. flor. ſambuc. ſem. lycop. a. ʒiß.
myrrh. el. ʒj. camphor. gr. iv. vel v.
farin. fabar. ℥j. M. F. pulu.

Sic & ob clamores, ob ſuctum aſcititium, ob defluxiones &c. in labii vel ſuperioris, vel inferioris medio fiſſura, ſeu rima oblonga, occurrit, producta etiam facile longius, & ſanguinem etiam fundens interdum, vel ichorem.

Fit

Fit idem etiam tumido magis labio, & ſi diducatur riſu vel clamore, vnde negligendum non eſt.

Imo & in angulis labiorum, vno, vel vtrisque interdum, tales fiſſuræ & vlcuſcula occurrunt, quod inprimis 1711. prope Sondershuſam in aliquot generoſis infantibus contigit.

Interius ſi quid neceſſarium videatur, aluus moueri poteſt, vel tranſpiratio liberior promoueri, ne antiſcorbutica vel renouatiua alia memoremus.

Exterius vero blanda abſtergentia, mucilaginoſa, ſiccantia fere conueniunt, vt vngu. pomat. mucilago ſem. cydon. pſyll.

℞ ol. ouor. rec. vel plantag. ℥ß. ceræ ℈ß. M.

℞ ſir. de ſymph. ℥j. ſem. lycopod. ℈ß. M.

℞ ſem. lycop. pomphol. alb. a. ℈ß.
camphor. gr. j. M.

℞ aqu. calc. viu. ℥iij. pomphol. ℈j. vel ʒß. M.

Agmen claudere poſſunt morbi quoque alii infantum obſeruati hinc inde, ſed ii partim incongrui, partim rariores, & extraordinarii, qui ad modulum communium aliarum ætatum, vel ſimilium, curandi veniunt; ſed cum modificatione quadam, reſpectu ad ætatem habito.

Sic vt quosdam ſaltim memoremus, tales ſunt hydrops, coryza ipſa, ſudor ſanguineus, obſeruatus a *Binningero Cent. IV. obſeru. 52, pag. 429.* fluor albus primo ætatis ſeptenario, & ante, a *Pechlino lib. I. obſ. 38.* imo menſes ipſi, & hæmorrhagiæ aliæ, a nobis viſæ, item mania *Amat. 2. 57.* aliique huc referendi.

Soli Deo Gloria.

Index I. Capitum.

CAP. I. Morbi infantum in genere p. 1.
II Regimen primum valetudinis infantis recens editi. 4
III. Næui materni. 7
IV. Labia leporina, defectus vuulæ, ſextus digitus &c 10
V. Atreti, vinculum linguæ ſtrictius, & ronchus. 13
VI. Aphthæ. 17
VII. Regimen infantum, quoad balnea, vmbilicum, & intertrigo. 19
VIII. Strabiſmus & luſcioſitas. 22
IX. Primum infantum alimentum & medicamentum 24
X. Icterus infantum. 29
XI. Arenularum excretio & vrinæ difficultas. 30
XII. Tormina infantum. 32
XIII. Pauores, motus conuulſiui, & epilepſia. 35
XIV. Syncope infantum, & narium obſtructio. 43
XV. Hydrocephalus & Siriaſis. 45
XVI. Ophthalmia & viſus læſio. 52
XVII. Lactumina, faui, achores, phthiriaſis & tinea. 56
XVIII. Cardiaca infantum, pleureſis flatulenta, ventris & hypochondriorum inflatio. 61
XIX. Prominentia vmbilici & hernia. 65
XX. Ranula ſub lingua, & angina ſeu pædanchone. 70
XXI. Dentitio difficilis. 73

XXII. Scorbutus oris & reliqui corporis 76
XXIII. Raucedo, tuſſis, reſpiratio difficilis, coryza, febris catarrhalis, catarrhus ſuffocatiuus. 80
XXIV. Alui adſtrictio. 84
XXV. Alui fluxus, lienteria, diarrhœa, & dyſenteria 88
XXVI. Teneſmus & procidentia ani. 92
XXVII. Singultus & vomitus. 96
XXVIII. Vigiliæ infantum. 100
XXIX. Δυσηκοΐα, ſurditas, fluor aurium, & tinnitus. 104
XXX. Obeſitas & atrophia. 110
XXXI. Vermes inteſtinorum. 117
XXXII. Gibbus, rhachitis, curuitas membrorum 121
XXXIII. Tumor tonſillarum & vuulæ, bubones, ſtrumæ, ſcrophulæ, & ganglia. 127
XXXIV. Febres infantum. 131
XXXV. Paralyſis, arthritis & luxatio femoris. 134
XXXVI. Furunculi, vlcera, ſcabies, lues Venerea. 138
XXXVII. Variolæ & morbilli. 141
XXXVIII. Calculus & vrinæ incontinentia. 147
XXXIX. Eryſipelas, fiſſuræ labiorum & extraordinaria quædam alia. 151.

Index II.

Index II. Alphabeticus.

AChores	56
Alimentum infantum primum	24
Alui adſtrictio	84
Alui fluxus	88
Angina	72
Ani procidentia	92
Aphthæ	17
Arenularum excretio	30
Arthritis	134
Aſcarides	117
Atreti	13
Atrophia	110
Aurium fluor	104
BAlnea infantum	19
Bubones	127
CAlculus	147
Cardiaca	61
Catarrhus ſuffocatiuus	80
Comedones	116
Coryza	80
Crinones	116
Cruſta lactea	56
Curuitas membrorum	121
DEntitio difficilis	73
Diarrhœa	88
Digitorum coalitus	13
Digitus ſextus	13

Dyſenteria 88
Δ σηκοΐα 104
EPilepſia 35
Eryſipelas 151
FAui 56
Febres infantum 131
Febris catarrhalis 80
Femoris luxatio 134
Fiſſuræ labiorum 151
Fluor aurium 104
Freni linguæ ſtrictura 14
Furunculi 138
GAnglia 127
Gibbus 121
HErnia 65
Hydrocephalus 47
Hypochondriorum inflatio 61
ICterus 29
Infantis recens editi regimen primum valetudinis 4
Inflatio ventris 61
Inflatio hypochondriorum 61
Intertrigo 20
LAbia leporina 10
Labiorum fiſſuræ 151
Lactumina 56
Lienteria 88
Linguæ vinculum ſtrictius 14
Lues venerea 138
Lumbrici 117
Luſcioſitas. 24

Luxatio femoris 134
Medicamentum infantum primum 24
Membrorum curuitas 121
Motus conuulſiui 35
Morbi infantum in genere 1
Morbilli 141
NÆui materni 7
Narium obſtructio 44
OBeſitas 110
Ophthalmia 52
Oris ſcorbutus 76
PÆdanchone 72
Pauores 35
Paralyſis 134
Phthiriaſis 56
Pleureſis flatulenta 61
Prominentia vmbilici 65
Procidentia ani 92
RAnula ſub lingua 70
Raucedo 80
Reſpiratio difficilis 80
Rhachitis 121
Ronchus 15. 16
SCorbutus oris & reliqui corporis 76
Scrophulæ 127
Scabies 138
Siriaſis 49
Singultus 96
Strabiſmus 22

Strumæ 127
Surditas 104
Syncope 43
TEneſmus 92
Tenia 117
Tinea 56
Tinnitus aurium 104
Tormina 32
Tonſillarum tumor 127
Tuſſis 80
VAriolæ 141
Ventris inflatio 61
Vermes inteſtinorum 117
Vermis vmbilicalis 115
Vigiliæ 100
Viſus læſio 52
Vlcera 138
Vmbilici inflammatio 20
prominentia 65
putrilago præcauenda 20
Vomitus 96
Vrinæ difficultas 30
incontinentia 147
Vuulæ defectus 12
tumor. 127

HOLZER
BINDER
BOSTON, MASS.